TASSA.

YO Christoual Nuñez de Leon escriuano de Camara del Rey nuestro señor, de los que residen en su Consejo doy fee que auiendo se visto por los señores del, vn libro intitulado Arte de Retorica q̃ con su licencia hizo imprimir Iuan de Santiago Religioso de la Compañia de Iesus, tassarõ cada pliego de los del dicho libro en papel a tres marauedis., y mandaron que antes q̃ se vendã se imprima en la primera hoja de cada vno dellos este testimonio de tassa: y para que dello conste, di esta fee en la villa de Madrid a ocho dias del mes de Agosto de mil y quientos y nouenta y cinco años.

Christoual Nuñez de Leon.

A 2

EGO Christophorus Mendez Prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Bætica, pro data mihi ad hoc potestate à Reuerendo admodū N. P. Generali Claudio Aquauiua, facultatē concedo, vt typis excudantur libri quatuor de arte Rhetorica cum breui quadam appendice de conscribendis epistolis patris Ioannis de Sanctiago eiusdem Societatis Iesu: quos diligenter legerunt, examinarunt, & approbarūt viri docti, & eruditi Rhetores eiusdem Societatis; quibus hæc res cōmissa est. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo Societatis nostræ munitas dedimus. Cordubæ prima die mensis Aprilis anni Domini 1595.

Christophorus
Mendez.

APPROBATIO.

REGII SENATVS SVpremi iussu, atq; mandato hos quatuor libros de arte Rhetorica P.Ioãnis Iacobi è Societate Iesu summa diligentia perlegi,& in ijs nihil penitus,quod vel aures offendat, vel orthodoxorũ patrũ perscriptis aduersetur,reperio: quin potius Rhetoricæ præcepta breui,perspicueq; comprehensa,& exemplis summorum virorũ locupletata accuratè docet. Sicq; prælo dignos, & euulgandos, & qui manibus doctissimorum hominũ circunferantur, censeo. Datum in hac Mantuæ Carpentanorum schola. 12. Calend.Maij, Anno Domini 1592.

Licenciatus Michael Nauarrus.

EL REY.

POR quanto por parte de vos Iuan de Santiago Toledano de la Compañia de Iesus, nos fue fecha relacion, que vos auiades compuesto vn libro intitulado Rhetorica, de que haziades presentaciõ, y nos suplicastes lo mandassemos ver, y daros licẽcia para lo poder imprimir, y priuilegio por diez años, o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro Cõsejo, y como por su mãdado se hiziessen las diligẽcias, q̃ la premaatica por nos hecha sobre la impression de los libros dispone, fue acordado, q̃ deuiamos de mandar dar esta nuestra cedula en la dicha razon, y nos tuuimoslo por bien. Por lo qual por os hazer bien y merced os damos licencia y facultad para q̃ por tiẽpo de diez años primeros siguientes, q̃ corran y se cuentẽ desde el dia de la fecha della, vos, o la persona q̃ vuestro poder ouiere, y no otro alguno podays imprimir el dicho libro, que de suso se haze mẽciõ por el original, que en el nuestro Cõsejo se vio, que va rubricado, y firmado al fin del de Christoual de Leõ nuestro escriuano de Camara de los que en el nuestro Consejo residen, cõ que antes que se venda, lo traygays ante ellos juntamente cõ el dicho original, para que se vea si la dicha impression esta conforme a el, o traygays fe en publica forma en como por corrector nõbrado por nuestro mandado, se vio y corrigio la dicha impression por el original, y mandamos al impressor que imprimiere el dicho libro, no imprima el principio y primer pliego, ni entregue mas de solo vn libro con el original al autor o persona a cuya costa se imprimiere, ni a otra alguna para efecto de la correcion, y tassa hasta que primero este corregido y tassado por los del nuestro Consejo, y estando assi, y no de otra manera, pueda imprimir el dicho principio y primer pliego, en el qual seguidamẽte põga esta nuestra

nuestra cedula y priuilegio, y la aprobacion, y tassa, so pena de caer e incurrir en las penas contenidas en la dicha prematica, y leyes de nros reynos. Y mandamos q̃ durante el dicho tiẽpo persona alguna sin vuestra licencia no lo pueda imprimir ni vender, sopena que el que lo imprimiere, aya perdido, y pierda todos y qualesquier libros, y moldes, y aparejos que del dicho libro tuuiere, y mas incurra en pena de cincuenta mil marauedis por cada vez que lo contrario hiziere. La qual dicha pena sea la tercia parte para la nuestra camara, y otra tercia parte para el juez que lo senteciare, y la otra tercia parte para la persona que lo denunciare. Y mandamos a los del nuestro consejo, Presidentes y Oydores de las nuestras audiencias, Alcaldes, y Alguaziles de la nuestra casa y Corte, y Chancillerias, y a todos los Corregidores, Assistente, gouernadores, Alcaldes mayores, y ordinarios otros juezes y justicias qualesquier de todas las ciudades, villas y lugares de los nuestros reynos, y señorios, y a los que agora son, como a los que seran de aqui adelante, que vos guarden y cumplan esta nuestra cedula y merced, que assi vos hazemos, y contra el tenor, y forma della y de lo en ella contenido, no vayã ni passen, ni consientan yr, ni passar en manera alguna, sopena de la nuestra merced, y de diez mil marauedis para la nuestra camara. Fecha en san Lorenço a diez y seys dias del mes de mayo de. 1592. años.

YO EL REY.

Por mandado del rey nuestro señor,
Don Luys de Salazar.

P. MELCHIOR A CERda, Rhetoricæ facultatis professor in Hispalensi Collegio Societatis Iesu ad Lectorem in huius Rhetoricæ commédationem.

CVlta Ioannis habens lector monimenta Iacobi,
Omnia Rhetoricæ cernere dona puta.
Nestoris eloquium, Demosthenis ora diserti
Gẽmea Romulei sparsa fluenta patris.
Cecropiæ extructum diuina Palladis arte,
Fert opus exemplis, dogmata pressa suis.
Alta quibus quondam crepuere theatra Quiritum,
Dulcisonamq; comans vexit Apollo Chelym.
Vt subeas vsus fastigia summa magistri:
Quo sine Maiugenæ tendere fila nequis.
Belligeri vibrare Typhoëa tela Iacobi,
Mella Ioannis erat fundere Nectarea.

P. MARTINVS A ROA facultatis Rhetoricæ professor in Cordubensi Collegio Societatis Iesu ad Lectorem in commẽdationem huius Rhetoricæ.

LOngo Rhetorices deducta volumina tractu,
Mira Ioannes doctius arte premit.
Arte tibi hac omneis doctæ stant Palladis artes;
Hinc decus accipiunt Mars, & Apollo suum.
In scænam vrbanos festiua Thalia lepores;
Atque in clamosum Mars feret arma forum.
Qui petit, inde reis vltricia tela coruscet,
Inde reus parmas, actor & inde petet.
Feruida, ceu sparsis subsident pectora lymphis
Ardentes rapient frigida corda faces.
Ergo hinc acceptum referat tibi Pallas honorem;
Expensumq; sibi Mars, & Apollo decus.

IN LIBROS DE ARte Rhetorica auctoris prologus, in quo Eloquentiæ laudes, & ſumma totius operis continentur.

TANTA fuit olim Eloquentiæ dignitas, & amplitudo, vt meritò eam dicat M. Cicero in omni libero populo, atq; in tranquillis, pacatiſq; ciuitatibus maximè floruiſſe, ac ſemper dominatam fuiſſe: quandoquidem eius eſt in dando conſilio de maximis rebus cum dignitate explicata ſententia. Quid enim eſſe poteſt oratione ſententijs grauibus, ſplendidiſq; ſermonibus ornata vehementius? Quid ad alliciendas voluntates, atq; ad impellendos animos vtilius? Ex hac omnium artium, & facultatum pulcherrima Eloquentia ornamenta, in alias deriuantur, & res præclarè geſtæ ſiue in bello, ſiue in pace laudis decus accipiunt. Ex ipſa omnes diſcunt, quemadmodum debeant motus animis afferre ſiue incitatos ſedare, ſiue languentes excitare. Quare dixit Cicero, Eloquentiæ beneficio multas fuiſſe ciuitates conſtitutas,

plurima bella reſtincta, firmiſsimas ſocietates coniunctas, & ſanctiſsimas amicitias comparatas. Ea dicendo mœrentes conſolatur, afflictos erigit, torpentes excitat, elatos cohibet, à vitijs ſceleratos reuocat, pioſque in virtute, & innocentia retinet. Age verò quis potuit vagos homines, perq; agros beſtiarum more viuentes, vnum in locũ congregare; atq; ex feris, & immanibus mãſuetos reddere? Eloquentia. Quod Poëta Latinus mihi videtur expreſsiſſe, cùm lib. 1. AEneid. maris tempeſtatem populo ſeditione concitato, comparans, virum eloquentem deſcribit, qui poſsit auctoritate, & eloquẽtia ſeditionem populi ſedare. Quare de illo dicit.

Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Quis potuit homines turpiſsimis voluptatibus diffluentes, eorumq; inexorabiles animos ſermone, & ſuaui oratione domare? Eloquentia. Quis potuit ciuitatibus conſtitutis leges imponere, atq; earum concordiam, & communionẽ conſeruare? eadẽ Eloquentia. Quo circa meritò Ennius illam Flexanimam, & Suadã appellauit: ſiquidẽ eius tanta vis eſt, vt in quen uis motum animos impellat. Huius potentiæ teſtis olim fuit græcus ille Piſiſtratus, cuius in dicendo tanta vis Eloquentiæ fuit, vt ei Atheniẽſes oratione capti regium imperium defer rent:

rent: cum præsertim ex contraria parte amãtissimus patriæ Solon niteretur. Sed alterius cõciones salubriores erant, alterius verò eloquẽtiores. Huius potentiæ testis quoq; fuit Carneades Philosophus, qui Romam, cùm esset ab Atheniensibus legatus missus, eo audito, Censorius Cato Senatui suasit, vt citò ea, quorum causa Carneades venerat, expediret, eumq; à se dimitteret, illius in vrbe morã diuturniorem, periculosam arbitrans. Tanta erat in eo dicendi vis, vt ipso disputante, falsum à vero discerni minimè posset. Deniq; huius potentiæ testis Eloquentia Ciceronis fuit, qua cùm Ligarium defenderet, non modò Cæsaris animum ab eo maximè auersum, mouit, & mitigauit: verum etiam, vt illi ignosceret, coëgit. Nam cùm accusatorem grauius vrgeret, in eumque his verbis acriter inueheretur. Quid enim Tubero tuus ille districtus gladius in acie Pharsalica agebat? Cuius latus ille mucro petebat? &c. Cæsar velut amens, atq; extra se positus, libellum, quem manu tenebat, abiecit, ac vi orationis expugnatus, contra suam voluntatem, propositumq; Ligarium absoluit. Itaq; vnus Orator mouere sua oratione Cæsarem, & vincere potuit, quem non Gallia pugnax, non Germania horrida, non Britania ferox, non Hispania bellicosa, non Italia superba, nõ Africa immanis,

nis,non armati hostes vnquam vincere potuerũt. Manus Oratori porrigit Cæsar, quibus gẽtes immanitate feras, ac multitudine innumerabiles domuerat. Oratoria iura patitur Cæsar, qui cæteris omnibus iura dare, legesq; imponere consueuerat. Denique vincitur ab Oratore Cæsar, qui omnium gentium oneratus exuuijs gloriosè de illis omnibus triumphauerat. Siccine ò Cæsar ab vno Oratore vinceris, qui omnes vsq; quaq; vicisti? vincor. Siccine tibi vnus Orator imperat, qui omnibus imperasti? Imperat. O rem mirabilem, atque laudabilem, quid hoc nobilius, quid admirabilius, atq; potentius esse potest? Ergò si hominum voluntates in sua potestate habere: si dispersos homines, ac belluarum more viuentes vnum in locum congregare, atque in pace, & communione conseruare: si ciuitatibus iura dare, consceleratos à vitijs reuocare, atq; optimos viros in vitæ puritate, & innocentia retinere; deniq; si potentissimos imperatores cogere, & expugnare ornata oratio, & Eloquentia potest: quis non illam admirabilem atq; omni prædicatione decorandam putet? in eiusq; studium totis viribus incumbendum, & vigilandum ducat?

Hæc dicendi facultas, & Eloquentia tribus potissimum rebus (ex quibus constat) comparatur,

ratur, videlicet natura, arte,& exercitatione. Natura Oratori futuro habilitatem, & aptitudinem tribuit,sicut athletæ lacertos, & corporis vires ad pugnandum. Ars illum armat, & exercitatio in pugnam deducit, vt facilè victoriæ spolia reportet. De harum trium præstãtia dicam illud,naturã per se quidẽ multũ posse:at si ab arte destituatur,erit tanquam ager ferax, qui nulla cultura, & aratro proscissus, inutiles herbas,sæpe etiã pestiferas producere solet. Si verò cum arte coniungatur, feraces ingenij,& Eloquentiæ fructus producet. Quod si exercitatio duabus adiungatur; absolutum quiddã erit,& perfectum. Est enim exercitatio optima dicendi parens,& effectrix. Harum trium vnaquæq; per se tametsi multum posit;plurimum tamen coniunctæ duæ valent, ac multò plus, si omnes tres conueniant in vnum,& coniungantur. Ergo in has tres generales partes nostra hæc Rhetoricæ præcepta distributa sunt. Primò enim ostendi,quemadmodum à natura dicendi facultas nata,& deriuata sit;deinde quẽadmodum arte perficiatur: postremò quemadmodum exercitatione roboretur. Artem sine vlla præceptorum confusione artificiosa methodo explicaui:atque in ea tradenda ordinem,& breuitatem cũ perspicuitate cõiunctã sum sequutus. Inuẽtio & dispositio (quas Rhetorica

torica à Dialectica mutuatur) tametsi per se difficiles sunt:tamen adhibitis illustrium Oratorum,& Poëtarum exemplis, ita sunt ordine doctrinæ explicatæ,vt facilè à quouis mediocriter docto percipi,& intelligi possint. In primo libro de inuētione,ac de argumentorū vsu ita diserui,vt minimè inuentionis præcepta cū dispositionis præceptis confunderentur: Sed omnia pro ratione doctrinæ suis locis tradita sunt,& collocata. Post inuentionem generalē specialem aliam tribus causarum generibus adiunxi:vnde ad laudandum,deliberandum,& defendendum argumenta desumerentur.In secundo libro egi de dispositione,& argumentorum collocatione, ac de duplici methodo doctrinæ:Itemq; de orationis partibus,atq; earū dispositione, & exercitatione adhibita exemplorum varietate, quæ doctrinam maximè perspicuam efficiunt. In tertio verò libro elocutionem artis Rhetoricæ potissimam partem (quæ tropos, figurasq; & concinnitatem complectitur)pulchra,& perspicua methodo ostendi,& demonstraui.Deniq; in quarto & vltimo libro memoriā & pronuntiationē eādē claritate,qua cæteras Rhetoricæ partes disputaui, & ad extremum totius artis exercitationem declaraui. Tandem pro appendice ad finem huius artis libellum quābreuissimum de conscribendis

ſcribendis epiſtolis attexui: quia præcepta in ea tradita ad epiſtolas conſcribendas, maximè iuuant. His igitur omnibus quicunque fuerit munitus, & ornatus, qui duce natura, & arte confirmatus, in eius præceptis diu, multumq; ſe exercuerit, artemq; dicendi exercitatione frequenti in vſum deduxerit, proculdubio dicendi peritiſsimus euadet, qui erudita, & perpolita oratione poſsit populi motus reprimere, ſenum grauitatem frangere, iuuenum alacritatem cohibere, omnium incolumitatem procurare, totamq; Remp. conſilio, & eloquentia moderari.

*

Finis Prologi.

IOANNIS IACOBI, SIVE DE SANTIAGO è Societate Ieſu de arte Rhetorica, liber primus.

RHETORICA EX NATVRA, ET *arte, & exercitatione conſtat. Cap. primum.*

RHETORICA, (QVAE latino verbo oratoria, ſiue dicendi doctrina appellari poteſt) conſtat, vt reliquæ artes ex natura, arte & exercitatione: quibus tribus Plato in Phædro ſapientiſsimè voluit omnes humanarum artium facultates contineri: quandoquidem ſunt cauſæ, quibus humanæ virtutes abſoluuntur: impreſsit enim natura parens in animis noſtris (tãquam in cera) omnium rerum imagines, in quas animus intuens, multa per ſe ſe intelligit, ac molitur, & (quod mirum eſt) per ſe mirabiliter efficit. Hinc videas paſsim à rudibus hominibus, ac nulla ſcientiarum cognitione præditis, multa ſubtiliter dici; non pauca de Phyſica, ſæpe de Aſtronomia, ſæpe de Arithmetica, & Geometria animaduerti, quæ nemo alius propemo-

dum viderat. Sic Cicero dixit Aratum Astrologiæ ignarum, multa ornatissimis versibus de cœlo, ac stellis pronuntiauisse, & Nicandrũ Colophonium ab agro remotũ, de rusticis rebus scripsisse multa. Declarant id ipsum pueri multi, qui dũ per se nulla arte pingunt, cereas imagines fingunt, atq; affingunt, & (quod præstantius est) ratiocinantur. Quæ omnia proculdubio tribuunt nobis naturæ (quæ inest in nobis) cũmularissimum testimonium. Verũ licet hæc ita se habeant, animus tamẽ in hanc nostri cor poris molem, tanquam in tenebras coniectus, veritatem, ac præstantissimum quidq; nó aper tè intuetur. Quare ad has tenebras depellendas, lumine opus fuit. In quam rem industrij, & nobiles viri operam, & industriam contulerũt: primũ necessitate coacti; deinde admiratione adducti; postremò vtilitate, & gloriæ studio attracti. Igitur hi, cùm per omnium rerũ naturas essẽt peruagati, quid in quoq; genere præstantissimum esset, & cognitione dignissimũ, atq; vsibus humanis aptissimum, diligentissimè annotarunt, præceptisq; ad vitæ vsum accõ modatis, posteris tradiderunt; vt illis animus illustratus, tenebras dispelleret, nec amplius hallucinaretur: quorum præceptiones in vnũ collectas artem nominamus: in qua si diligenter, & attentè animus versetur, eiusq; præceptis

tis frequentissimè vtatur, fiet, vt quò vult, via certissima perueniat, aut minus aberret ab eo, quod sibi proposuerit. Ex quibus omnibus efficitur, vt animi propensionem, & quasi impetũ, (quo ad quasq; res ferimur) naturæ, certitudinem doctrinæ, absolutionem verò, & perfectionem exercitationi acceptã referamus. Quod à me sic declaratur, ut natura nos rerum admoneat; ars consilium det, munia verò exercitatio exequatur: vel (rudius & simplicius loquendo) vt natura in nobis quasi sementem faciat, ars irriget; ac deniq; exercitatio ad messẽ vsq; perducat.

DE ARTE, AD QVAM EXPLI-
candam quatuor requiruntur. Cap. 2.

HIS igitur iactis fundamentis, de arte deinceps præcepta tradamus: & quidem, ad eã explicandam, prius nominis ambiguitas distinguenda est, deinde methodo definiẽda, ac postremò diuidenda, & explicãda. Methodum autem voco, vniuscuiusq; artis perfectionem; ad quam absoluendam res quatuor obseruandæ sunt, nimirum, finis, ad quem artis præcepta referuntur: materia circa quam versantur: officia, quæ quisq; artifex suscipere debet ad suum finem consequendum: & instrumenta, quibus firmatus, & munitus, præclarè suo munere, & officio perfungatur.

QVID SIT RHETORICA, ET *quis eius finis.* Cap. 3.

VT igitur ordine propoſito res iſtas proſequamur: in primis Rhetorica nullam in ſe continet ambiguitatem. Atq; ea (vt conſtat ex nominis origine) benè dicendi doctrinam ſignificat: ῥῶ enim, ex veteri verbo contractũ, dico ſignificat, & eloquor, vnde ῥήτωρ καὶ ῥητορικὴ deducunrur. Id eſt rheror, & rhetorica: quæ difinitur ars benè dicendi: Benè hîc interpretor ornatè, non cum bonis moribus (vt voluit Quintilianus) quia ſi vir improbus ſit, bonus tamen orator eſſe poteſt, ſi dixerit ornatè. Hæc Rhetoricæ definitio ex eius fine ſumpta eſt, qui eſt benè, & ornatè dicere. Quare, qui ornatum in eloquendo fuerit aſſequutus, nihil amplius habet, quod in Rhetorica requirat: hoc enim proprium retinet hæc ars, vt res à Dialectica inuentas, & diſpoſitas, à Grãmatica verò proprio ſermone expoſitas, tropis, & ornamẽtis elocutionis ornet, ac expoliat. Vnde cõſtat, Rhetoricæ finem eſſe ornatum, qui fit tr°pis, & figuris.

DE RHETORICAE MATERIA, *& de officijs, atq; inſtrumentis.* Cap. 4.

MATERIA huius artis de ſententia Quintiliani, ſunt res omnes, quæ ſunt illi ſubiectæ. Quidam tamen dicunt, aliam eſſe artis, aliã arti-

artificis materiam. Atq; ita de horum sentētia ars Rhetorica proponit sibi pro materia obseruationé naturalis vsus in benè dicentium exēplis, quam præceptis explicet. Artifex verò, id est, Orator rhetorica arte instructus, proponit sibi res omnes, quæ dicendo possunt exornari. Sic Grāmatici materia sunt res omnes, quæ ei subiectæ sunt ad rectè, & propriè loquendum: & Dialectici materia sunt res omnes, quæ ei subiectæ sunt ad benè differendum, &c. Non tamen repugno, quin tropicôs aliquando artis materia dicatur pro artificis materia. Officia verò Rhetoricæ, & Oratoris à Cicerone, & Quintil. tria constituuntur, nimirum docere, mouere, & delectare. Deniq; instrumenta huius artis quinq; numerantur, nempe, Inuentio, Dispositio, Elocutio, Memoria, & Pronūtiatio, quæ & partes eiusdem artis appellantur: fieri enim potest, vt vna, eadēq; res nomine partis, & instrumenti dicatur; diuersa tamen comparatione: vt manus comparata cum corpore, pars est corporis: at eadem est instrumentum dandi & accipiendi.

RHETORICAE PARTES *quæ propriæ*. Cap. 5.

EX his quinq; numeratis partibus, Rhetorica Inuentionem, & Dispositionem à Dialectica mutuatur: Memoria verò (si est animi nostri

facultas) omnium artium est cõmunis : at si sit artificialis,ac memoriæ præcepta significet,ad eam dialecticæ partem referendam esse voluit Ioãnes Nunesius Valentinus, quæ disputat de methodo diuisionis:cuius beneficio (vt ait Galenus initio artis paruæ) res memoriæ cõmendantur.Deniq; Pronuntiatio ad histrionum artem magis,quàm ad Rhetoricã refertur.Quare si præcepta consideremus,sola elocutio est propria pars Rhetoricæ : si verò usum spectemus,omnes quinq; partes Rhetori sunt necessariæ : quia sine illis opus suum,idest,orationẽ perficere non potest. Primò enim (vt ait Fab. Quintilianus) res inueniuntur, deinde disponuntur,post hæc memoriæ mandãtur,& ad extremum pronuntiantur Nec quia Orator ad orationem conficiẽdam,alijs artibus indiget, videlicet,Grãmatica ad propriè loqũedũ,Dialectica ad inuenienda,& disponenda argumenta, &c. Nec deniq; , quia omnes artes cum eloquentia sunt coniunctæ, idcirco ad eam pertinebit,illarum artium,doctrinam, & præcepta tradere. Vt enim Architectus ad ædificandas ædes opus habet calce,arena,lateribus,cæmẽtis,lignis hoc,vel illo modo dolatis : & calcem ab his petit,qui in fornace lapides coquũt,arenã ab arenarijs,ligna à fabris,&c. Deinde, quæ à varijs artificibus seorsim facta erant,ad vsum

domus

domus in vnum coniungit, atq; ita absoluit: similiter Orator castum sermonem à Grāmatica mutuatur, à Dialectica argumēta, à philosopho rerum cognitionem, ab Historicis historiam, leges à Iureconsultis, &c. Et in suam orationem transfert, atq; ita absoluit. Hoc modo olim omnes artes confusæ fuerūt, vsq; coniūctæ. Nam vt quisq; suam artem augeret, cū ea artium reliquarum præcepta coniunxit, quorū præsidio ad munus suum exequendum indigeret. Hinc est illa celebrata literis aurea Homeri catena, quæ encyclopediam, idest, orbicularem omnium artium sciētiam continet, de qua Plato in Amatoribus, & Cicero in oratione pro Archia poëta loquuti sunt: quæ si vsum consideres, probatur sanè: si verò præcepta, improbatur. quia singulæ artes proprijs finibus, præceptisq; distinctæ sunt.

DE INVENTIONE, DEQVE AR- *gumentorum partitione, & numero. Cap. 6.*

SED iam de inuētione prima Rhetoricæ parte disputemus; quæ est ordine naturæ, & doctrinæ prior. Est igitur inuentio ratio, seu doctrina ad explicandam quæstionem: hæc doctrina ex præceptis, præcepta ex locis constant. Loci (qui & argumentorum sedes dicuntur) indicant, vnde argumēta petenda sunt; vt lemmata nartheciorū apud pharmacopolas, quæ

indicant quid in quoq; narthecio fit. Est autem argumentum quæstionis probatio, & ratio: quæstio verò est id, de quo disputatur, siue cũ nota interrogationis efferatur, siue non: quasi dicam, quæstio est totũ illud, quod explicatur: idq; si vna voce explicetur, vocatur quæstio simplex, vt quid sit Rhetorica? si duabus, quæstio côiuncta, vt sit ne Rhetorica laudanda? quarum, quæ antecedit, subiecta pars vocatur, vt, Rhetorica, quæ verò sequitur, attributa, vt, laudanda. Ex quæstione eruuntur argumenta, quæ antiquissima partitione vel sunt insita, & artificialia, & ab Aristotele dicuntur τεχνικά vel sunt assumpta, & inartificialia, & ab eodẽ Arist. appellantur ἄτεχνα. Insita argumenta sunt, quæ ex se, & natura sua fidem faciunt. Nam argumẽtis ex causis, effectis, subiectis, adiũctis, & reliquis artificialbus per se credimus. Assumpta verò, & in artificialia per se fidem non faciunt, vt testimonia: quibus minime credimus, nisi ratione artificialium; vt postea clarius constabit. De numero argumentorũ, & ordine varia est apud autores sententia. Cicero in Topicis, & in Partitionibus oratorijs septemdecim argumẽtorum genera ponit, Rodolphus Agricola. 24. plura Aristoteles in Topic. Sed nos cum Audomaro Talæo, Nunesio Valentino, alijsq; doctissimis viris, omnia argumentorum genera, seu loco-

locorum ad decem facilioris doctrinæ gratia, referamus, hoc ordine, vt sint. Causæ, Effecta, Subiecta, Adiuncta, Dissentanea, Comparationes, Nomina, Diuisiones, Definitiones, & Testimonia.

DE CAVSIS, ET EARVM *diuisione, ac fine. Cap. 7.*

CAVSA est, id cuius vi aliquid efficitur, vel est id, vnde aliquis existit effectus: vt Sol est lucis causa, ignis caloris. Causarũ genera sunt quatuor, videlicet, finis, forma, efficiens, & materia. Finis est causa, cuius gratia aliquid fit: sic beatam vitam Philosophi bonorum finem vocant, quò omnia consilia, & rectè facta referri debent. Hæc causa est omnium nobilissima, & ad quã cæteræ referũtur, vt qui eam fuerit assecutus, reliquas omnes dicatur assecutus. In hac causa versantur omnes ferè Philosophiæ disputationes: quia posito fine, omnis quæstio videtur cõquiescere. Ab hac causa laudamus, & vituperamus. Sic laudamus eũ, qui literas discit, vt sibi, & alijs prosit: & cõtrà vituperamus eũ, qui easdem discit gloriæ, & turpis lucri gratia. Cicero in oratione pro lege Manilia à fine suasit Mithridaticum bellum suscipiẽdum esse, nimirum, propter Romani nominis gloriam, & propter sociorum salutem, & publica vectiga-

lia, & deniq; propter bona ciuium. Est autem Oratori integrum, ad illustrādam orationem, varios fines coniungere, ut extremus vehemētius vrgeat. Quod Cicero fecit eloquētissimè in oratione pro Ligario, in qua Tuberonē accusatorem vrget, cùm armorum cōtra Cæsarem susceptorum, finem premit: quod tanto animi ardore fecit, vt Cæsarem vel inuitum adduceret, vt Ligario parceret. Sic enim ille. Quid enim Tubero tuus ille districtus gladius in acie Pharsalica agebat? &c. Vide apud Cicer. reliqua.

DE FORMA. *Caput.* 8.

FORMA, secundum genus causarū, est per quam vnaquæq; res est id, quod est, & à cæteris distinguitur rebus eiusdē generis; vt animus rationis particeps est forma hominis: à qua Cicero lib. 1. de legib. laudauit hominem, dicens. Animal hoc prouidū, sagax, multiplex, acutum, memor, plenū rationis, & consilij, quē vocamus hominem, præclara quadam conditione generatū esse à summo Deo: solū enim est ex tot animantium generibus, atq; naturis particeps rationis, & cogitationis, cùm cætera omnia sint expertia. Est autem forma duplex, substantialis, & accidentalis. Substantialis est pars substantiæ, vt animus hominis: & accidētalis est quodcūq; accidens. Et hæc vel est à natura,

tura, vt forma plantæ: vel ab arte, vt forma domus. Formæ duo ſunt officia, vnum, vt rem informet, & ſic in natura tueatur, vt ea ſublata, res ipſa prorſus immutetur: alterum, vt rem, cuius eſt forma, à cæteris rebus diſtinguat: quia res quæq; ſuis formis diſtinguuntur: quarum aliæ ſub ſenſus cadunt: aliæ ſola cogitatione comprehenduntur, &c.

DE CAVSA EFFICIENTE, AC *de eius multiplici diuiſione. Cap. 9.*

EFFICIENS (cauſarum genus tertium) eſt cauſa à qua res eſt; vt ſol diem efficit, luce per totum cœlum difuſa. Hæc cauſa tripliciter diuiditur: nam primò dicitur procreans, aut conſeruans. Procreans eſt, quæ primò rem efficit; cuiuſmodi ſunt parentes, cauſæ efficientes ſuorum liberorum. Similiter opifices ſunt operum ſuorum cauſæ efficientes. Hinc Menalcas apud Verg. Ecloga. 3. vaſa laudat ab opifice, dicens: *Pocula ponam,*

Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis:

Cauſa conſeruans eſt, quæ rem tuetur, ut cibus vitam hominis, parentes liberos ſuos, leges, & magiſtratus Remp. Hæ omnes, cauſæ ſunt conſeruantes. Ex hoc effectorum loco eſt omnis Philoſophorū diſputatio de conſeruando ſtatu benè moratæ ciuitatis; & medicinæ de ſani-

tate tuenda, vt labor, cibus, potus, somnus, omnia mediocria, & moderata. Fieri autem potest vt vna, eademq; res sit procreans, & conseruãs, vt Deus, & parentes, qui suorum liberorũ causæ sunt procreantes, & conseruantes. Ouidius lib. de remedio amoris vtrumq; genus complexus est, cùm ait, ocia amoris esse causas. Sic enim ille.

Hæc, vt ames faciunt, hæc, quæ fecere, tuentur:
Hæc sunt iucundi causa, cibusq; mali:
Ocia si tollas, periere cupidinis arcus,
Contemptæq; iacent, & sine luce faces.

Porrò, tametsi eædem causæ possunt esse procreantes, & conseruantes, & frequẽter accidit, vt res ab ijsdẽ causis efficiatur, & conseruetur: vt à parentibus liberi, à legibus ciuitates, &c. tamẽ ratione, & cogitatione, distinguẽdæ sunt: quoniam alia est procreandi, & alia conseruandi ratio. Quanuis plerunq; eadem sit eiusdem rei causa procreatrix, & conseruatrix; vt in offic. Cicero docet, gloriam in Rep. comparari amore, grãtia, fauore ciuium, & opinione virtutis; & eandem rebus ijsdem conseruari.

DE SECVNDA CAVSAE
efficientis diuisione. Cap. 10.

SECVNDA diuisione, causa efficiẽs, vel est sola, & absoluta, vel cum alijs. Causa efficiẽs absoluta est, quæ rem per se facit sine alterius admi-

adminiculo, vt ignis calorem. Hinc Nisus apud Vergil. AEneid. 9. se solum autorem cædis profitetur, dicens.

Me, me: adsum qui feci, in me conuertite ferrum,
O Rutuli, mea fraus omnis; nihil iste, nec ausus,
Nec potuit: cœlum hoc, & sidera conscia testor.

Causa efficiens cum alijs est, quæ rem facit, non perse, sed cum aliorum adminiculo. Et hæc, vel est princeps, vt Imperator in exercitu, gubernator in naui, &c. Vel est adiuuãs, vt miles, nauta, & instrumenta. Hanc Plato in Politico concausam appellat. Vtrunq; genus Cicero complexus est in oratione pro M. Marcello, cùm bellicas laudes Cæsaris cùm alijs cõmunicat, quòd à multis sit adiutus, nec solus victorias, & res præclarè gestas, sit adeptus: clementiæ tamen gloriam, totam ei attribuit, quia solus eius sit autor, & effector. Sic igitur Cic. Nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus, cõmunicare cũ multis, ne propriæ sint Imperatorum. Et certè in armis militum virtus, locorum opportunitas, Sociorum auxilia, classes, cõmeatus multũ iuuant: maximam verò partem quasi suo iure Fortuna sibi vendicat: & quidquid est prosperè gestum, id penè omne ducit suum. At verò huius gloriæ Cæsar, quam es paulò antè adeptus, socium habes neminem. Totum hoc quantum

tumcunq; est (quod certè maximum est) totũ est (inquam) tuum. Sic dicemus ad huius exẽpli imitationem Iesum Christum vnigenam æterni patris solam, & absolutam efficientẽ causam nostræ redemptionis extitisse; quippe, qui nullis machinis, nullis bellicis instrumẽtis, nullis Sociorum auxilijs, &c. Sed inuicta patientia morti se ipsum libẽter offerendo, salutem nostram operatus, & gloriam eximiam sit adeptus. &c.

DE TERTIA EFFICIENTIS *causæ diuisione. Cap. 11.*

TERTIA diuisione causa efficiẽs est, ex modo efficiendi, vt alia spontè efficiat, alia nõ spontè. Efficiens spontè motu suo, & consilio est Deus, angelus, & homo, quibus liberum est agere, & nõ agere. Huc pertinet cõfessio Phædriæ in Eunucho Terentij, qui à Thaide exclusus incontinentiam suam arguit, quòd tametsi intelligat, & sciat se perire, pereat tamen voluntate. Eòdem spectat illa Ciceronis de se cõfessio in oratione pro Ligario cùm ait: Suscepto bello Cæsar, gesto etiam magna ex parte, nulla vi coactus, iudicio meo, ac voluntate, ad ea arma sum profectus, quæ erant sumpta contra te, &c. Huc etiam spectat consuetudo, ex qua (vt dixit Pythagoras) nascitur optima viuendi ratio. Sic Stilpho (vt lib. de fato. refert Cic.

Cic.) ebriosus,& mulierosus natura fuit:sed vitiosam naturam ita doctrina, & exercitatione edomuit, vt nemo illum vinolentum, nemo in eo libidinis vestigium viderit. Non ergo parũ refert (vt ait Arist.) sic vel sic à pueris assuescere. Causa efficiens nõ spontè, vel efficit natura, vel necessitate,vel fortuna. Efficiẽs natura est, cuius agendi initium est intrà,nullo alio externo adiuuante,vt ignis,qui naturaliter vrit.Hac efficientis specie res omnes naturales oriũtur, intereunt augentur,minuuntur,alterantur,loco mouentur.Necessitas est causa,quæ vi cogitur ad effectum: à qua, si quid actum sit, id potius cogenti causæ,quàm coactæ imputatur:vt si quis ab altero impulsus,aliquẽ offendat,is nõ tã reprehẽditur,quã, qui impulit: quod est intelligẽdũ,si sit necessitas humana,secus si sit diuina.In hoc genere interdũ numerãtur causæ, nõ quæ omnino violẽta necessitate impellũtur sed quæ quasi cogi videntur.Mercator enim se tempestate coactum,dicit, vt merces in mare proijciat, & homo priuatus à tyranno se cogi, vt patrem interficiat.Attamen,nec tempestas, nec tyrãnus necessitatem inferunt:quãvis vehementer vrgeant.Sed quia sic vsus fert, causa vocatur necessaria,& coacta ex cõditione, sine qua salui, aut liberi esse non possumus (vt ait Cic.)Diuina necessitas est apud Ciceronem in ora-

oratione pro Ligar. cùm excusat Pompeianorum causam: quòd fatali necessitate compulsi sint ad bellũ. Necessitas humana est illa Tityri Vergiliani. Eclog. 1. Quid facerē? Neq; serui tio me exire licebat. Causa efficiens fortuna, est causa per accidens, quæ sine vi ad efficiendũ cogitur: quam dicunt fortuitam, & casualem. Quanquam Arist. 2. Phys. c. 5. &. 6. fortunam à casu distinguit; vt fortuna sit propriè consilio præditorum, sed eo non vtentium: quam imprudentiam nominamus: casus sit omnium reliquorum: vt v.g. In palatium venisti cõueniēdi amici causa, & minime inuenisti, frustra igitur venisti. At dum illuc ires, thesaurum inuenisti. Profectio tua inuenti thesauri causa fuit, sed fortuita. Sic casu fortuito (ut ait Cic. lib. 3 de natura Deorum) Phæreo Iasoni profuit hostis, qui gladio vomicam eius aperuit, quā medici sanare non poterant. Huiusmodi exempla Arist. vocat fortunam. Casum verò putat esse rerum consilio, & ratione carentium. Sic Cic. 2 de Nat. Deor. refellit Epicurum à minoribus causis, qui fortuita atomorum cõcursione mũdum efficiebat: neq; enim erat credibile, tam admirabilem mundum temerario, & fortuito atomorum concursu factum esse. Hanc tamen differentiam inter fortunā, & casum Latini nō obseruant: sed pro eâdem re fortunam, & casum

sum vsurpant. Est autem huius generis causarū consilio,& non consilio agētium, magnus vsus in æstimatione laudis,& vituperij, veniæ,&pœnæ, quibus consideratis, Magistratus, vel pœnā reis statuunt, vel veniam, vt si scelus spontè cōmissum sit, pœnam statuant: sin casu, & imprudentia, condonetur. Atq; hæc de causis efficiētibus satis dicta sint.

DE MATERIA QVARTO *genere causarum. Cap. 12.*

MATERIA est causa, ex qua aliquid fit: vt æs statuæ materia est, & domus, calx, lapides, ligna, tegulæ,&c. Nec solum hîc physicam, & palpabilem materiam intelligimus: sed etiā logicam,& cōmunem omnium rerum. Sic materiam artium vocamus præcepta, ex quibus constāt. A materia descripsit Ouidius lib. 2. Metam. Solis regiam, quòd ebore, quòd auro, & argento,&c. ædificata esset. Sic enim ille.

Regia Solis erat sublimibus alta columnis:
Clara micante auro, flāmasq; imitante pyropo, &c.

In deliberationibus de ædificijs, de nauibus, ac de materiatis rebus omnibus hæc causa necessarium habet locum: quia in eiusmodi rerum exquirenda natura, materiæ consideratio necessaria est: vnde (sicut ait Vegetius) naues faciēdæ sunt ex cupresso, ex pinu domestica, &c. Hactenus de causis à nobis dictum est: quarum

C finis

finis præstantiã sibi vendicat: ideoq; in primo loco est collocandus: quia eo posito, cæteræ causæ ponuntur, & non contrà. Secundo loco succedit forma, quia ea posita, ponuntur statim efficiens,& materia,non contrà. Tertium locum occupat efficiens,quia eo posito, ponitur materia,non contrà. Deniq; vltimum locũ obtinet materia. Secus tamen accidit in agendo: quia tunc materia sit prior in ædificando necesse est,quàm Architectus opus vllum efficiat: Deinde forma succedit: ac tandem operis fine,& ædificio fruimur. Causarum vsus maximus est, & vberrimus in omni disputatione fons: vnde omnis scientia diuinarũ, humanarumq; rerum promanauit: à quibus, si vlla in re veritatẽ nosse cupimus, haurire debemus. Si bellum gerendum est, si de pace deliberandum,si artes diligẽter explicandæ sunt: si quid ratione, & iudicio explicandum est, causæ nobis sunt considerandæ. Deniq;, si ad virtutes exhortari velimus, à fine illarum, & præmio illis proposito,atq; ab efficiendi facultate obtinebimus.

DE EFFECTIS. Cap. 13.

EFFECTA proximè post causas secuntur, & sunt ea omnia,quæ existunt è causis: Quæ ita cum causis comparantur, vt quot sunt causarum genera,tot videantur effectorũ.Et quã-

uis

uis effectorum nomen propriè ad causas efficientes referatur, quæ sua vi aliquid efficiunt: cum cæteris tamen causis aliqua ratione comparantur: Nam finis alliciendo, & forma rei naturam informãdo, & materia patiendo, etiam adhibetur ad effectum: quare effecta de causis omnibus existunt. Dicuntur autem effecta, & effectus, euenta, & euentus eâdem significatione. In organo dialectico effectum vacatur ἀιτιατὸν, id est, causatũ, q.d. actio, & opus: quod si latinus sermo in hanc sententiam pateretur, aptissimè diceretur, &c.

Huius argumenti ab effectis sunt exempla, cùm opifices ex suis operibus, & inuẽtores ex inuentis suis, autoresq; ex suis factis vel laudantur, vel vituperantur. Vnde Oratores interdũ coniungunt varia effectorum genera, vt causæ appareant illustriores, & auditores magis excitentur. Sic Cicero in Pisonem, & Gabinium varia, & crudelia effecta recenset, quòd Senatus auctoritatẽ neglexerunt, quòd Remp. prodiderũt: quòd optimi cuiusq; consilia contẽpserunt, &. Neq; solum facta, ad effecta referuntur, verum etiam dicta, scriptaq;: Dicta enim eorum, à quibus dicuntur, & scripta à quibus scribuntur, facta quædam sunt. Vnde Pericles Atheniẽsis ex benè dictis laudatur: Demosthenes, & Cicero vtraq; laude floruentur. Consilia

quoq; huc referuntur,& deliberationes,etiam si ad exitum minimè peruenerint. Quare Parmenio, & Philotas imperio Alexandri morte mulctati sunt,quòd essent suspecti coniurationis (vt refert.Q. Curtius) Hinc colligimus,nõ tantum in rebus præteritis effecta cõsiderari: sed etiam in his,quæ quisq; facit,facturúsve sit: vt cùm disputatur,quid Alexander Magnus facturus fuisset,si in Italiam venisset: Tunc enim effecta futura,non præterita memorãtur.Atq; omnino,vt causæ rerum corporearum,&incorporearum sunt cõmunes: sic effecta sunt intelligenda. Vnde Horatius in Epistola ad Torquatum ebrietatem ab effectis descripsit,dicens.

Quid non ebrietas designat? operta recludit,
Spes iubet esse ratas,in prælia trudit inermem,
Sollicitis animis onus eximit,addocet arteis.
Fœcundi calices,quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?

Ex quibus versibus ebrietatis effecta colliguntur,quæ sunt arcani significatio, spes, audacia, gaudium,opinio doctrinæ,garrulitas,& à curis vacuitas.

DE SVBIECTIS. *Cap.* 14.

SEQVVNTVR deinceps subiecta,&adiũcta: quæ non minus ad se mutuò referũtur, quàm causæ,& effecta. Quamobrẽ, vna est eorum,communisq; doctrina, cùm sint relata, ac

se se

se se mutuò explicēt: ideoq; coniunctè melius, quàm disiunctè cognoscuntur. Sint igitur subiecta, quæ adiunctis subijciuntur: ut homo calori: vel subiectum sit, cui aliquid adiungitur: sic animus subiectum est scientiæ, & ignorātiæ, virtutis, & vitij: corpus est subiectum magnitudinis, & paruitatis, roboris, & infirmitatis: homo subiectum est honoris, & infamiæ, diuitiarum, & paupertatis, vestitus, & comitatus. Locus subiectum est rerum in eo sitarum. Aristoteles lib. 4. Philosophiæ. Subiectū sensus vocat, quod vulgò obiectum dicitur, nempe colorem visus, sonū auditus, saporem gustatus, &c. Quia sensus in sensibilibus exercetur, & occupatur. Hoc argumento virtutes, & vitia in Ethicis ab Aristotele declarantur lib. 2. c. 7. Vt fortitudo in periculis, temperantia in voluptatibus, clementia in ira, veritas in dictis, & factis, &c. Quæ planius, & clarius intelligētur in proximo adiunctorum loco. Multa autem laudantur, & vituperātur à subiecto, vel à re subiecta, in qua aliquid inest: sic arbores, & herbæ à locis, in quibus nascuntur, sanis, vel pestilentibus laudātur, aut vituperātur. Vrbes quoq; à solo, & situ cōmodo, vel incōmodo: item suademus virtutes expetendas, quòd subiectum earum sit animus, &c.

DE ADIVNCTIS. *Cap. 15.*

ADIVNCTA ea sunt, quæ subiectis adiunguntur: sic virtus, & vitium animi: magnitudo, & paruitas corporis, diuitiæ, & paupertas, vestitus, & comitatus hominis adiuncta vocantur. A Cicerone coniuncta in Part. dicũtur, à Rodolpho Agric. contingentia, & ab alijs cõmuniter accidentia. Sed melius adiuncta, & circunstantias appellemus: quia nomen accidentis quædam est effectorum, & adiunctorum cõfusio: vt ex Topicis Arist. intelligitur: & adiũcti nomine substantiã quoq;, & accidens significare possumus, &c. Ex propositis adiunctorum, & subiectorum exemplis triplicia esse subiecta, & adiuncta colliguntur: Nam quædam adiuncta tantum insunt in subiecto, nec sunt ab eo auulsa, & separata: vt virtus, & vitium, quæ insunt in animo: calor & frigus in corpore: & ab huiusmodi adiunctis, & re subiecta, Martialis lib. 3. Zoilum collegit virum malũ esse, dicẽs,

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus,
Rem magnam præstas Zoile, si bonus es.

Alia sunt adiuncta, quæ rem subiectam circunstant: vt vestitus, & comitatus: à quibus cum re subiecta Vergil. lib. 4. AEne. Didonem venatum proficiscentem descripsit: nimirum, à vestitu & comitatu, ab equitibus, & peditibus, & canibus: quæ omnia reginam ipsam circunstant. Reginæ descriptio incipit ab illo versu.

It

It portis iubare exorto, &c. Cicero etiam ab his adiunctis, quæ circunstant Verrem describit his verbis Act. 7. Stetit Prætor populi Rom. cum pallio purpureo, tunicaq; talari muliercu læ innixus in littore. &c. Et Ouid. lib. 2. de remedio amoris Phæbum ab ijsdem adiunctis depinxit, dicens.

Phœbus adest, sonuere lyræ, sonuere pharetræ:
Signa Deum agnosco per sua, Phœbus adest:

Lyra, & pharetræ nō sunt in Apolline, sed circū stant. Deniq; alia sunt adiūcta, quæ circa subiectū vel (vt vulgò vocant) obiectū, versantur, & occupātur. Sic (vt diximus in loco subiectorū) fortitudo cernitur in periculis, temperantia in voluptatibus, liberalitas in pecunijs, &c. In eisdemq; vitia contraria, sed infra, aut supra modum occupantur. Atq; ita Cicero in verrem dixit. Quas res luxuries in flagitijs, crudelitas in supplicijs, auaritia in rapinis, superbia in cōtumelijs efficere potuisset: eas omnes sese hoc vno Prætore per triēniū pertulisse. Et Propertius lib. 2. ab ijsdem adiunctis, & subiectis argumenta colligit dicens.

Nauta de ventis, de tauris narrat arator;
Enumerat miles vulnera, pastor oues.

Locus adiunctorum, & subiectorum multò frequentior est, quàm causarum, & effectorū: quia causæ non ita sunt in promptu (cùm sæpe nos

lateant) vt ſubiecta,& adiūcta, quæ nobis paſſim obuia ſunt,& quibus frequenter vtimur apud doctos,& indoctos. Referuntur ad locum adiunctorum ſigna,quæ à Græcis σημεῖα dicuntur,qualia ſunt ea,quæ rem præcedunt,vt cædē apparatus,colloquium,locus,&c. Et quæ cum re ipſa ſunt, vt cū cæde tremor, pallor, rubor, titubatio: ſuſpiciones quoq; , & coniecturæ (ideſt) innumerabilium rerū ſpecies,& notæ, ex quibus certæ nōnunquam , & firmæ probationes ſumuntur. Huc referuntur affectiones propriæ:vt in homine ridendi,loquendi,& plorandi,in lupis vllulandi,in equis hinniendi , in canibus latrandi,&c. In artibus,& ſcientijs ſumuntur ex his adiunctis qualitatibus magnæ confirmationes : vt in morali philoſophia virtus ex adiunctis qualitatibus declaratur: quòd ſit laudabilis,& per ſe expetenda, &c. Et cōtrà vitium vituperabile,& maximè fugiendum.Ad hunc quoq; locum adiunctorū referuntur illa, quæ perſonæ conueniunt ad laudandum , aut vituperandum,vt genus,natio,boni mores,aut mali,&c. mors,& quæ poſt mortem conſecuta ſunt.Item,præſentia,antecedētia,& conſequētia,monſtra,portenta,&c. Sed nō eſt ea vis adiunctorum, vt per ſe magnam vim faciāt : ſunt enim plerunq; infirma,& leuia : tametſi coaceruata iuuant, & habent vim, et pódus,vt Ouidius

alius de eiusmodi signis dixit.

Forsitan hæc aliquis (nam sunt quoq; parua) vocabit:
Sed quæ non prosunt singula, multa iuuant.

DE DISSENTANEIS. *Cap.* 16.

HACTENVS exposita sunt arguméta cõsentanea, ita dicta, quia cũ altera quæstionis parte consentiant, & consonent siue subiecta, siue attributa: deinceps dissentanea secuntur: quæ de eodem simul affirmari, & negari non possunt. Quorum genera sunt duo, nempe, cõtraria, & repugnantia. Contraria sunt dissentanea, quorum vnum tantum vni certa lege repugnat: vel quæ plurimum differunt vnum ab vno, vt virtus, & vitium, candor, & nigror; calor, & frigus, &c. Hæc ab Arist. in categorijs op posita vocantur: â Cicerone in Topic. contraria. Et sunt de Aristotelis sententia c. 1. Elench. quæ de eodem, secundum idem, & ad idem, & eodem modo, & eodem tempore, non possunt dici, nec verè affirmari. Sic Socrates albus, & ater eâdem parte esse non potest: nec pater & filius eiusdẽ: nec diues & pauper codẽ modo: nec sanus, & æger eodem tempore. At albus esse potest alia parte, & ater alia: spe diues, re ip sa pauper: sanus hodie, cras æger.

DE QVATVOR CONTRARIORVM *generibus. Cap.* 17.

CONTRARIORVM genera sunt quatuor, videlicet, aduersa, relata, priuantia, & contradicentia. Aduersa sunt, quæ sub eodem genere comprehensa, inter se plurimum differũt, vt cãdor, & nigror sub colore: homo, & bellua sub animali. Hæc ab Arist. vocantur ἐναντία, & interpretes vertunt cõtraria: sed Cicero aduersa appellat. Nec interest, an hæc aduersa sint in eodem genere proximo, vt homo, & bestia in animali: an in remoto, & longè petito, vt liberalitas, & auaritia in genere habitus, iustitia, & iniustitia in genere qualitatis.

Tractantur autem dupliciter aduersa. Alàs aperta negatione, vt sapiens est, nó igitur stultus: aliàs aduersa aduersis geminata reddũtur, vt virtus est per se expetenda: Igitur vitium est per se fugiendum. Hinc est illud Ciceronis in Topic. Si stultitiam fugimus, sequamur sapientiam, & in Tusc. 5. Quid cùm fatemur satis magnam esse vim in vitijs ad miseram vitã: nònne fatendum est, eandẽ vim in virtute esse ad beatam vitam: contrariorum enim contraria sunt consequentia.

Contraria hæc opponuntur tantum vnum vni: & vel medium habent, vt album & nigrum intermedios colores viridẽ, rubrum, pallidũ: vel medio carent, vt libertas & seruitus, vnde Tibullus dixit lib. 2.

Sic

Sic mihi seruitium video, dominamq; paratam.
Tu mihi libertas illa paterna vale.

DE RELATIS. Cap. 18.

RELATA sunt contraria, quorum essentia mutua est, vt pater, & filius: magister, & discipulus. Hæc ab Arist. τὰ πρός τι dicuntur. i. ad aliquid. Exprimuntur hæc relata interdum genitiuis casibus, vt pater est filij pater: interdum etiam alijs casibus, vt maius est minore maius. Quin etiam in verbis est quædā relatio. Cicero in Oratore. Non igitur periculū est, ne quis putet in magna arte, & honesta, turpe esse docere alios, quod ipsis fuerit honestum discere: docere, & discere sunt hîc relata. Et in oratione pro M. Marcello. Ex quo profectò datur intelligi, quāta in dato beneficio sit laus: cùm in accepto tāta sit gloria. Datum, & acceptū relata sunt.

DE PRIVANTIBVS. Cap. 19.

PRIVANTIA sunt contraria habitum, vel rei præsentiam, & eius priuationem significantia: vt aspectus, & cæcitas, sobrius, & ebrius Martial. lib. 3.

Ebrius es, nec enim faceres hæc sobrius vnquam.

Talia sunt vita, & mors: valetudo, & morbus, lumen, & tenebræ, &c. Differunt autem priuantia ab aduersis: quia nō sunt in eodem genere

vt aduerſa: priuatio enim, (quæ nihil eſt) in nullo genere eſſe poteſt. Et quanuis priuatio per habitus negationem intelligatur, vt cæcus, non videns: tamen aliud eſt priuatio, & negatio aliud. Hæc enim ſignificat quidquid inre affirmata non eſt: illa verò tantum, quod in re non eſt, ſed natura ineſſe poteſt. Vnde negatio latius patet, quàm priuatio: ſolum enim animal ſenſibile dici poteſt cæcum. At non ſolum animal eſt non videns: ſed etiam domus, lectus, veſtis, &c. Atq; ita viſus cùm ſit habitus, & cæcitas eius priuatio de nullo alio propriè dici poteſt, niſi de eo, quod ſuapte natura videre potuit, cuiuſmodi eſt animal ſenſibile. Quare, talpa alio modo dicetur cæcus, & alio homo. A priuantibus laudare poſſumus, & vituperare: vt ſi ebrietas vituperanda eſt, profectò ſobrietas laudanda, &c.

DE CONTRADICENTIBVS. *Cap 20.*

CONTRADICENTIA ſunt contraria, quorum vnum ait, alterum omnino idē negat: vt animal, non animal: honeſtum, non honeſtum: voluptas eſt honeſta, voluptas non eſt honeſta. Hæc vocantur à Cicer. aientia, & negantia quorum alterum ait, alterum negat idē. Quod non tantum genere, aut ſpecie intelligendum eſt, ſed etiam numero: vt ſi dicas: omnis homo eſt animal, & alius contradicat: nullus

lus homo est animal: de singulis id negabit, de quibus generaliter fuerat affirmatum.

Ea autem vis est contradictionis, & natura, vt ambæ partes nō possint simul esse veræ. Quod axioma verissimum esse Aristoteles ait. Huius verò argumenti maximus est vsus, & vtilissimus, obtinetq; primas partes in contradictionibus, & altercationibus. Et prodest plurimū ad conuincendum, & resistendum: vnde argumenta consentanea plus habent luminis ad docendum. Contradicentia verò plus habent roboris, & firmitatis ad impellendum.

In cōtentionibus, aliquādo contradictio aperta, & simplex est: vt fecisti: non feci: aliquando vrbana, & figurata: vt cùm ab aliquo dissentimus, honoris gratia præfamur, pace tua dixerim, vel aliud simile, &c. Dissensio versatur in laude, & vituperatione: vt illa Ciceronis in suo Catone, & Cæsaris in Anticatonibus cùm Cicero laudem Catoni tribueret, Cæsar eidem detraheret. Et in deliberatione: vt cùm aliquis dicit, hoc vtile esse, & fieri posse. Atq; alius cōtradicat: nec vtile esse, nec fieri posse. In iudicio quoq; maximam vim habet contradictio: cùm accusator personam facti arguit: defensor verò defendit, non esse factum. Sic Cicero pro Archia dixit, Archiam ciuem Rom. esse, quod negabat accusator. Reprehendimus hoc contradi-

traditionis argumento, hominum leuitatem, & inconstantiam, cùm dicimus, contradicentia sibi loqui,& sentire.

DE REPVGNANTIBVS. *Cap.* 21.

REPVGNANTIA sunt opposita, quorũ vnum multis eâdem lege repugnat: vel sunt opposita non maximè differentia vnũ ab vno: sed vnum à pluribus: vt, homo, arbor, lapis, & huiusmodi innumerabilia: quæ homini repugnant, nullaq; certa lege inter se dissident, nec certo numero. Duorũ contrariorũ: interdũ aliquid est mediũ:nec tamẽ illis est cõtrarium, sed repugnãs: vt viride, rubrũ, pallidũ,&c. quæ media sunt inter album, & nigrum, & singula extremis,& inter se sunt repugnantia: sic liberalitas, effusio et auaritia repugnant inter se. AEne.1.apud Verg. AEneas Venerẽ deam esse conclusit à repugnantibus, dicens.

O quàm te memorem virgo? namq; haud tibi vultus
Mortalis:nec vox hominem sonat: ô dea certè.

q.d.virgo hæc nõ est mortali vultu,nec humana voce:dea igitur. A repugnãtibus laudamus, et vituperamus: vt si Tyranni facta non defendis, Tyrannicidam laudas: si defendis, vituperas. Cicero in.1. Paradoxo. Quæ cùm quis habet,miserrimus est,ea non sunt expetenda:sed talia sunt bona fortunæ: quare non sunt expetenda, etc.

DE

DE COMPARATIS. Cap. 22.

DEinceps comparata disputãda sunt, in quibus res consideramus per collationẽ quantitatis, et qualitatis: parés ne sint, an impares, similes, an dissimiles. Sunt igitur comparata insita argumenta, quæ conferuntur inter se, vel cum altera quæstionis parte cõparantur. Quæ definitio magis intelligetur per comparationis partes: quàm per hanc comprehensionem generalem. Ergo cõparata ex rebus subiectis, circa quas versantur, bipartitò diuisa sunt: nã quædam sunt circa quantitatem, id est, circa quandam æqualitatem, vel inæqualitatem: et quædam circa qualitatem, id est, circa quandã similitudinem, vel dissimilitudinẽ. Prioris generis sunt res pares, aut impares: posterioris verò res similes, aut dissimiles. Paria argumenta sunt, cùm ex re pari par, et æqualis approbatur, quia paria sunt æquè grauia, vel æquè credibilia. Vnde Cicer. dixit pro Sylla. Neq; verò intelligere possum, quid mihi irascare: si quòd eum defendo, quem tu accusas: cur tibi quoq; ipse nõ succenseo, qui accuses eum, quem ego defendo. Inimicum (inquis) accuso meum: et amicum ego defendo meum. Et Philip. 2. Quorum facinus est cõmune, cur non erit præda communis. Habet argumentum à pari suas no-

tas,

tas,quibus exprimitur: cuiusmodi sunt, illæ cũ gradibus grãmaticæ comparationis,talis, qualis,tantus,quantus, tàm, quàm, tantò, quantò. Gradus gramaticos appello positionis, comparationis, et superlationis: vt quales in rep. Principes: tales et reliqui ciues esse solent. Et quantò rex est maior subditis: tantò vitium illius magis est reprehendendũ. Aliquando notæ comparationis Parium exprimuntur sine gradibus grãmaticis,cuiusmodi sunt tot,quot par,æquale,et verbum æquare, idem, non magis,nõ minus, &c. vt tot sunt genera causarũ, quot effectorum.Ouid.lib.5. de Tristib.

Littora quot conchas, quot amœna rosaria flores, &c.
Tot premor aduersis, &c.

Vbi sex paribus amplificat multitudinem miseriarum suarum. Exemplum de pari est apud Verg.AEne. 2 .Par leuibus ventis: et AEnei.3. de æquali.

Et nunc æquali tecum pubesceret æuo.

De verbo æquare, idem lib.3.

Illa inclyta Roma imperiũ terris, animos æquabit Olympo.

De nota idem, Cic.4. in Catil.Cuius res gestæ, atq; virtutes iisdem,quibus Solis cursus regionibus, ac terminis continentur. Parium modi plures esse possunt:sed ex dictis facilè cognoscentur. Hoc argumenti genus in confirmatione firmum est: vt si fortitudo laudanda est, & tempe-

temperantia.Et in refutatione:vt si consilio iuuare ciues non est laudabile: nec auxilio iuuare, gloriosum erit. Firmamentum huius loci, et argumenti est apud Cice. in Topicis. Quod in re pari valet, valeat, et in hac, quæ par est: aut si non valet in illa: in hac non valeat.

DE ARGVMENTO MAIORVM
Cap. 23.

POST paria secuntur imparia, quæ duobus modis considerantur. Nam aut sunt maiora, aut minora: Maiora sunt, quando cũ aliqua re minore conferuntur, & sunt magis grauia, et credibilia: sic AEneas apud Verg. lib. 1. AEne. ait ad socios.

O socij (neq; enim ignari sumus ante malorum)
O paßi grauiora, dabit deus his quoq; finem.

Qua comparatione AEneas socios cõsolatur, & excitat ad tollerantiam futurorum. Vos (inquit) grauiora paßi estis: leuia igitur, si quæ acciderint, pati poteretis, & Cicero. Quid faceres domi tuæ, cùm alienæ tam sis insolens? Hic locus in refutatione firmus est: vt rex non potuit arcem expugnare: igitur nec miles poterit illam expugnare. Maiorũ duo sunt modi: vnus cum notæ comparationis exprimuntur: cuiusmodi sunt (non solum) in prima comparationis parte: (verum etiam) in altera. Sic Ennius

D dixit.

dixit. Tollitur è medio non ſolum iſta ſimulatio prudentiæ:ſed etiam illa rerum domina ſapientia Cuius comparationis hæc eſt vis. Tollitur domina rerum ſapientia: Quid mirum igitur,ſi tollatur verboſa ſimulatio prudentiæ? Et Cic.Facilè patior ea me de Rep.ſentire , ac dicere,quæ maximè , cùm mihi,tùm etiam reip. rationibus putem conducere,id eſt , non ſolũ mihi : Sed etiam Reip.rationibus. In quibus exemplis prima pars,(nõ ſolum) cõtinet quæſtionem:Secunda, (ſed etiam) continet argumentum maiorum.Alter modus maiorum eſt, cùm ſine comparationis notis exprimuntur:vt exprioribus exemplis ſatis conſtat. Maiorum alij modi poſſunt reperiri , cùm videlicet oratio creſcit ſemper ad maiora : vt apud Terentium in Eunucho. Cùm Gnato Thaidis gratias amplificat pro virgine illi donata. Sic igitur Thraſo apud Terentium ait, loquẽs cum Gnatone. Magnas verò agere gratias Thais mihi? (Gnato)Ingẽtes.Thraſo.Ain'tu,læta eſt?(Gnato).Non tàm ipſo quidẽ dono,quàm abs te datum eſſe,id verò ſeriò triumphat.Vide, vt oratio à maioribus ſemper creſcit : plus enim eſt ingentes,quàm magnas gratias agere : & plus triumphare, quàm lætari autore muneris. Ex quibus verbis cõſtat,quaſdam gradationes ad hoc maiorum argumentum pertinere : qualis

eſt

est illa Ciceronis pro Milone. Neq; verò se populo solum: Sed etiam Senatui : Neq; Senatui modò , sed etiam publicis præsidijs, & armis. Neq; his tantum : verum etiam eius potestati: cui Senatus totam Remp. omnem Italiæ pubem , cuncta populi Rom. arma cõmiserat. In qua gradatione, etsi à minoribus ad maiora progreditur: vis tamen argumenti est à maioribus ad minora. Nam in hac maiorum collatione,et tractatione semper hæc nota,(non solum) continet quæstionem:et altera,(sed etiã) continet maiorum argumentum,quasi ita tractetur primum argumentum superioris gradationis. Qui se tradidit Senatui ; tradet etiam populo.&c.

DE ARGVMENTO MINORum. *Cap. 24.*

MINORA sunt minus grauia,& minus credibilia:Et sunt illa. Cùm res minor probat et maior concluditur : Vel cùm ex minoribus maiora concluduntur. Quæ affirmatè ferè tractantur. Vt Iuno apud Verg. AEne. 1. Pallás ne exurere classem Argiuũm potuit, &c. q.d. Pallas Argiuos submergere potuit: Iuno, quæ maior est, Troianos non poterit? Et Cicero. Mortem, quam etiam virgines Athenienses pro patria contempsisse dicuntur? Ego vir consularis timerem? Et Ouid.

Vt corpus redimas, ferrum patieris, & ignes,
Arida nec sitiens, ora leuabis aqua:
Vt valeas animo, quicquam tolerare negabis:
At pretium pars hæc corpore maius habet.

Minorum quoq; duo sunt modi, sicut & maiorum: vnus sine nota: vt in propositis exemplis. Alter cum nota: & huiusmodi sunt nomina grãmaticæ comparationis: quæ à Grãmaticis cõparatiua nomina dicuntur: & verbum malo, & præpositio præ, & tantum ab est, vt, et si quæ sunt aliæ minorum notæ. Exemplum grãmaticæ comparationis est illud Ouidij de corpore, et animo: hortatur enim homines ad virtutis studium comparatione laborum, qui tuendæ valetudinis causa impenduntur: cùm animus habeat maius pretium, id est, sit maioris momenti. De verbo malo Iuuenalis, satyra. 9.

Malo pater tibi Thersites dummodo tu sis
Aeacidæ similis, vulcaniaq; arma capessas:
Quàm te Thersitæ similem producat Achilles, &c.

q. d. Malo tibi patrem esse pessimum, dummodo tu sis bonus, et fortis: quàm patrem tibi esse optimum, & tu sis pessimus. De præpositione præ sic Terentius in Eunuch. Hic verò est, qui si amare occeperit, ludum, iocumq; dices fuisse alterum, præ vt huius rabies, quæ dabit: quasi amor Phædriæ sit ludus, & iocus: Chereæ verò furor, et rabies. De tantum abest, ut. Sic Cicero.

cero. Tantum abes à perfectione maximorum operum: vt fundamenta, quæ cogitas, nondum ieceris. Ad hoc argumenti genus spectat modus ille minorum cum hyperbole mixtus augendi, minuendive gratia, vt ille Tityri Vergiliani Ecloga. 1.

Antè leues ergo pascentur in æthere cerui,
Et freta destituent nudos in littore pisces:
Antè pererratis amborum finibus exul:
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim:
Quàm nostro illius labatur pectore vultus.

q.d. Facilius est ceruos in aëre pasci, &c. quàm Augusti nomen ex illlius memoria excidere. A minoribus eximiæ quædā amplificationes sumuntur; cùm gradatim à minoribus itur ad maiora: qualis est illa Ciceronis. Facinus est ciuē Rom. vincire, scelus verberare, propè parricidium necare, quid dicam in crucē tollere?

DE SIMILITVDINE. *Cap. 25.*

SED iam de comparatis in qualitate disputemus: quæ vel sunt similia, vel dissimilia. Similia sunt, quæ in eadem qualitate conferuntur: aut secundum Arist. quorum qualitas est vna. Similitudo facilioris doctrinæ gratia, sic potest distingui, vt alia sit simplex, cùm ex simili simile demonstratur. Alia multiplex, cùm ex multis similibus, vnum, aut multa similia pro-

bantur. Exemplum prioris est apud Ciceronē Philip.2.Sed nimirum,vt quidam morbo, aut sensus stupore suauitatem cibi nō sentiunt: sic libidinosi,auari,facinorosi veræ laudis gustum non habent. Exemplum multiplicis similitudinis fit:Quēadmodum sol spontè irradiat, dies illuminat,imber irrorat: Sic spiritus sancti gratia sese in hominum mētibus infundit. Talis similitudo multiplicata, erit illustrior,et tūc inductio vocabitur: In qua Socrates frequentissimus fuit,vt cōstat ex Platonis dialogis,& Xenophontis. Habet autē similitudo suas notas: cuiusmodi sunt illæ. Quemadmodum, sicut,vt, veluti,&c. quæ adhibentur in prima parte similitudinis:quæ dicitur protasis. Et illæ, non secus,sic,similiter, eodem modo, non aliter,&c. quæ in altera parte similitudinis ponūtur, quæ vocatur apodosis, vel redditio similitudinis. Similitudines his notis expressæ frequentissimæ sunt apud autores: sunt & aliæ similitudinis notæ:vt more,instar,quasi,tanquam, &c. Vt hora fugit more fluentis aquæ,et Verg.AEn.2.

Instar montis equum diuina Palladis arte
AEdificant.

Reperiuntur aliquando similitudines sine notis;vt virtus adiantum.q.d. Quēadmodum adiantum, etsi aquarum multitudine obruatur: non marcescit,cùm in aquis nutriatur,& crescat:

cat:Sic virtus, et si aduersitatum fluctibus obruatur; semper tamen resistit, & perseuerat. Et Virgil. Eclog. 2.

O formose puer nimium ne crede colori:
Alba ligustra cadunt, vacinia nigra leguntur.

Quasi dicat: vt candidi flores ligustrorum statim cadunt, & pereunt: hyacinthini purpurei leguntur, & colliguntur: sic formæ candor iuuenilis breuis est, et propè momentaneus. Patet autem latissimè similitudo, quia in omni disputatione frequentissimum habet vsum, & potest ex omnibus rerum generibus depromi.

Porrò, duæ sunt notandæ illustris similitudinis species: prima cùm protasis, & apodosis vno, et eodem verbo clauduntur: vt illa Ciceronis ad. Q. Fratrem. Quemadmodum gubernatores optimi vim tempestatis: sic sapientissimi viri fortunæ impetum persæpe superare nō possunt. Atq; hic modus explanatus est, & illustris. Altera similitudinis species est, cùm protasis, & apodosis verbis, et clausulis distinguuntur: vt quemadmodum agricolæ laudantur, qui assiduo labore terram colunt: sic magistri laudari debent, qui assidua exercitatione discipulorum animos excolūt. Nec interest fictáne sint, an vera exempla, quæ proponuntur: quia in vtroq; genere par est similitudinis ratio.

FABVLA, ET IMAGO, ET EXEMpla referuntur ad similitudinem. Cap. 26.

AD similitudinem fabula refertur, vt si dicas Circes fabulam veneficijs homines in feras conuertentis, significare eos, qui minimè ratione ducuntur: sed sese totos, qui turpibus voluptatibus dedunt, iam præter nomen, nihil hominis habere: sed pecudum naturam induisse. Parabola quoq; ad similitudinem refertur, quæ est, cùm similis simili confertur, metaphora etiam, et imago, quæ ἰκῶν, græcè dicitur, quòd sit rei collatæ imago; vt si dicas, aliquem hominem in alterum more leonis irruisse. Huc etiã exempla pertinent siue historica, siue fabulosa; quæ in eo defferunt ab inductione, quòd hæc ex pluribus similibus peruenit, quò vult. Exemplum verò ex vno tantum progreditur. Valent autem exempla multum ad faciendam fidem, & ad ornatum orationis, idq; siue laudes, siue deliberes, siue defendas, & accuses, &c. Iam verò exempla vel tractantur fusius, vel contractius per inductionem exemplorum. Qualis est illa Ciceronis Paradoxo. 1. in quo profert veterum Rom. plurima exempla ad confirmandũ, in bonis animi tantum beatitudinẽ consistere. Differt autem similitudo à cõparatione: quòd in similitudine duæ res cum duabus, aut tres cum

cum tribus conferuntur: vt si dicas. Quemadmodum oculus dirigit corpus: Sic mens animi perturbationes moderatur. Hîc duæ res cum duabus comparantur, nempe oculus cum corpore, & mens cum animi perturbationibus: atq; hæc similitudo vocatur ab Euclide analogia, & à Cicerone lib. de vniuersitate, proportio. In comparatione verò quantitatis duæ res, aut plures conferuntur cum eâdem re tertia, vt si dicas. Tam debetur honos matri, quàm patri Pater & mater hîc cōparantur in honore: quod in similitudine non fit. Atq; vt finem imponā similitudinibus, & exemplis, illud ad extremū dicam, nihil esse ad dicendum conducibilius similitudinibus, & exemplis: Quæ ex medio deprompta, docent, mouent, & delectant. Præterea nihil efficacius persuadet, nec rē euidētius ante oculos ponit, nec plus affert venustatis, dignitatis, et iucunditatis, quàm similitudo decens, suoq; loco adhibita. Et vt similitudo apta, & prudenter inducta, præcipuæ laudis est: ita intempestiua, & inconcinna nihil turpius, & molestius.

DE DISSIMILITVDINE. *Cap.* 27.

DISSIMILIA sunt, quæ in diuersa qualitate comparantur: vel quorum qualitas est diuersa. A Cicerone in Partit, vocantur differē-

tia:ab alijs altera, & alia. Ideoq; dissimilitudo differentia,&(vt ita loquar)alteritas pro eodē accipiuntur. Dissimilia idcirco appellantur, quia interdum accidit, vt similitudo euertatur dissimilitudine præposita negatione, vt v.g. Hæc est similitudo. Quales in Rep. Principes, tales & reliqui ciues esse solent. Huic similitudini,si negatio præponatur, efficietur dissimilitudo:vt non quales in Rep.Principes,tales & reliqui ciues esse solent.

Habet dissimilitudo suas notas,vt, non quemadmodum,non sicut,&si quæ sunt aliæ: quæ adhibentur in prima parte dissimilitudinis, quæ dicitur protasis:at verò,verū,sed, &c. & si quæ sunt aliæ,quæ ponuntur in redditione dissimilitudinis,quæ vocatur andapodosis:vt,nō quēadmodum,qui dissoluit pecuniam, non habet: sic,qui refert gratiam,non habet: sed habet in hoc ipso, quòd refert. Cicero pro Planco sic exemplum hoc extulit. Quanquam dissimilis est pecuniæ debitio,& gratiæ. Nam, qui pecuniam dissoluit,statim non habet id, quod reddidit.Qui autem debet,is retinet alienū. Gratiam autem, & qui refert, habet, & qui habet, in eo ipso quodhabet,refert.q.d.Dissimilis est pecuniæ debitio,& gratiæ.Deinde apertius exprimitur:vbi protasis præcedit. Qui pecuniam dissoluit,statim non habet:qui verò habet, retinet

tinet alienum. Et andapodosis sequitur. Gratiã qui refert, habet, & qui habet, &c. Sunt et aliæ dissimilium notæ, cuiusmodi sunt, dissimile, aliud, differens, non sed: vt, si dicas: non erat formosus, sed doctus Aristoteles, et Cicero pro Ligario: secessionem tu illam Cæsar, non bellum existimasti: non hostium odium, sed ciuile dissidium. Multiplicantur aliquando plures dissimilitudines, cùm conferuntur inter se. Vt Cicer. pro Cælio. Quàm volent in conuiuijs faceti, dicaces, nonnũquam etiam ad vinum diserti sint Alia vis est fori, alia triclinij, alia subselliorũ ratio, alia lectorum: Non idem iudicum, comessatorumq; conspectus. Lux deniq; alia solis, alia lychnorum. Reperiuntur aliquando dissimilia sine notis: vt constat ex illo Ciceronis exemplo. Nundinarum certus dies expectatur, non consilij. q. d. Non vt nundinarum certus dies expectatur: ita et consilij: Eòdem spectat illud Martialis in Tongilium.

Omnes Tongilium medici iussêre lauari:
O stulti febres creditis esse: gula est.

q.d. non febres, sed gula est. Ad hoc argumentum dissimilium pertinent illa, quæ à Rhetoribus antitheta vocantur: qualia sunt ea Ciceronis pro Milone. Est enim Iud. Hæc non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: sed ex ipsa natura arripuimus, hausimus,

mus expressimus. Ad quam nō docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus. Huc etiam pertinet figura illa, quæ dicitur à Græcis andimetabolè, qualis est ea Socratis: Non vt edam, viuo: sed vt viuam, edo. Illæ quoq; orationes, quæ iunctæ sunt coniunctionibus aduersatiuis. Etsi, quanquam, tamen, &c. (quibus Cic. maximè delectatur in principijs suorum operum) referuntur ad dissimilia.

Atq; hæc in vniuersum de comparatis; quorū maximus est vsus in omni disputatione. Sed cōparatio quantitatis plus valet ad cōmouendos animos, præsertim plebeiorum: Comparatio verò qualitatis plus valet ad illustrandum, & docendum.

DE NOTATIONE. *Cap.* 28.

HACTENVS argumenta rerum tractata sunt: quorum alia simplicia fuerunt; alia cōparata, Et è simplicibus alia consentanea, alia dissentanea. Et è comparatis alia in quantitate, alia in qualitate. Secuntur iam argumenta, quæ ex vi nominis sumuntur: quorum genera sunt duo: nempe. Notatio, & coniugata. Notationem (vt ait Cic. in Topic.) Græci etymologiam vocant, id est, verbum ex verbo verilo-quium. Nos autem verbi nouitatem non satis apti, fugientes, genus hoc notationem appel-

lamus

lamus: quia sunt verba rerum notæ. Hoc idem Aristoteles symbolum vocat, quod latinè sonat nota. Hæc sunt verba Ciceronis. Nos tamen hîc non instituimus rerum notationes, quæ sunt ipsa nomina: sed nominum ipsorum notationes, & explicationes, quibus vis, & natura nominum probari potest.

A Grãmaticis, & Dialecticis, ac Rhetoribus tractatur notatio dissimili ratione: à Grãmaticis quidem, vt accidentia nominum, & partium reliquarum orationis docentur; A Dialecticis verò, & Rhetoribus, vt ex nominum origine res ipsa arguatur, et probetur. Vnde notatio nihil est aliud, quàm nominis interpretatio, vt si dicas, philosophia est studium sapientiæ, & sapiẽtia nihil est præstantius: igitur philosophia est omnium artium præstantissima. Differt autem notatio à definitione, quod definitio rei naturam, quæ definitur, explicat: notatio verò vim verbi. Hoc argumenti genus licet leue, & incertum sit: aliquando tamen habet vsum necessarium: quando res de qua agitur, eget interpretatione: vt cùm M. Cælius se esse hominem frugi vult probare: non quòd sit abstinens, sed quòd sit multis vtilis, id est, fructuosus. Continet hoc argumentum multam eruditionem, & doctrinam: cùm ortus vocabulorum diligenter exquiruntur. Sic Plato in Cratylo de origi-

ne

ne Græcorum nominum differuit. M. Varro omnium Romanorum doctissimus maximam in verbis latinis diligentiam adhibuit. Poëtæ quoq; hoc argumentum non repudiant. Vnde Ouidius Fastorum lib. 1. Ianum à ianua deducit,& hostiam ab hoste, & Augustum ab augendo. Notatio multum valet ad iocandum; cùm nominis interpretatio ipsis rebus conuenit. Sic Cicero lusit in Verrem, cùm illum fingit à verrendo.i.rapiendo dictum, quia aliena rapiebat:vel à verre,id est,porco nõ castrato:& Philip.3.Lisidicum interpretatur, quòd omnia iura dissoluat.Sic Cõsul dicitur à cõsulẽdo,Senatus à senibus,Philoponus laboris studiosus.

DE CONIVGATIS. Cap. 29.

CONIVGATA sunt, quæ ab eodem orta principio,variè flectuntur, & cõmutantur: vt sapiẽtia sapiens,sapienter: homo, humanus, humaniter.Grãmatici hæc primitiua,& diriuatiua appellant.Cicero coniugata,Arist.σύσοιχα, vocat. Sed in ratione dicẽdi hoc inter eos differt,quòd Aristoteles, πτῶσεις, id est, casus à cõiugatis distinguit: vocat autem casus aduerbia à nominibus deriuata,vt à sapientia sapienter, à iustitia iustè,&c. Has tamen distinctiones in multis locis contempsit. Quare coniugata, & casus coniunctè, & indifferenter nominantur.

Dicun

Dicuntur autem coniugata, sumpta metaphora à bobus sub eodem iugo simul iunctis: sic coniugata sub eodem themate ponuntur, vt sub verbo sapere, sapientia, sapiens, sapienter. Quintil. contemnit hoc genus argumenti, quòd non egeat probatione: sed fallitur, quia non putat argumentum esse, nisi quod eget probatione: cùm omne argumentum perspicua probatio esse debeat: alioquin, non esset argumentum. Coniugata sunt illa apud Terent. in Heaut. Homo sum, humani à me nihil alienum puto. Magnus est vsus argumenti huius in iocis, & Rhetorum agnominatione. Vnde Cic. in Verr. Act. 4. dixit. Quæ iste, cùm cognouisset nouus Astrologus, qui nõ tã rationẽ cœli, quàm cœlati argenti duceret: in quo exẽplo tum coniugatio, tum agnominatio figura verbi est. Differũt coniugata à notatione: quòd aliud sit vnde nomẽ sit impositũ, perscrutari: vt in notatione: aliud per verbi cognationẽ ab alio inflexi, vim argumenti sumere, vt in coniugatis.

DE DIVISIONE. Cap. 30.

ARGVMENTA coniuncta iam secuntur, quæ scilicet, oriuntur ex primis: & ea sunt duo, nimirum, diuisio, & definitio. Et diuisio definitione prior est ordine naturæ, & doctrinæ: quia ad inueniẽdam definitionẽ, diuisio generis primùm est afferenda, ex qua differentiæ colli-

colligantur. At in methodo definiendi diuisionem præcedit definitio, quia prius quid sit vnaquæq; res, explicandum est: deinde in suas formas diuidenda. Sed in ordine argumentorũ explicando, diuisio præcedat necesse est: quia multæ difinitiones ex diuisione sumuntur. Sit igitur diuisio totius in partes distributio: vnde quot sunt genera totius, & partium, tot erunt diuisionum, & partitionũ. Sunt autem totius, & partium quatuor genera, nempè, causæ, facta, subiecta, & adiuncta: quare quatuor erunt genera diuidendi. Primum ex causis: cùm res diuisa est effectum, & partes diuidentes sunt causæ: vt si hominem diuidas in animum, & corpus. Hoc diuisionis genus est optimũ: cùm partes diuidentes sunt causæ internæ, & constituẽtes rem ipsam: vt corpus, & anima, quæ hominem constituunt. In qua diuisione, nec totum, est id, quod partes: nec partes, quod totũ est, id est, nec corpus est homo, nec anima: sed ex corpore, & anima resultat homo. Princeps igitur diuisio, cùm de re aliqua differitur, eiusmodi erit, (si res ferat) quæ rei causas eam constituentes, distinctis partibus explicabit. Quales ferè sunt Oratorum, & Poëtarum, cùm totam sibi materiam propositam in certas partes diuidunt. Sic Cicero dixit pro Muræna. Intelligo Iud. tres totius accusationis partes fuisse: & ea

rum

ſum vnam in reprehenſione (.ſ. Murænæ:) alteram in contentione dignitatis: (ſ. quia ſulpitius contendebat ſe digniorem eſſe Muræna ad conſulatum) Tertiam in criminibus (.ſ. ambitus) eſſe verſatam. Et Verg. Georg. 1.

Quid faciat lætas ſegetes, quo ſidere terram
Vertere Mecœnas, vlmiſq; adiungere vites
Conueniat: quæ cura boum, qui cultus habendo
Sit pecori, atq; apibus quanta experientia parcis,
Hinc canere incipiam.

Vbi propoſitio totius operis Georgici eſt: quod Vergilius in quatuor partes diuidit. Et ſingulis libris ſingulas partes exequitur: Primo agriculturam, ſecundo vitium, & arborum culturam, tertio rem pecuariam, & quarto naturam apum. Illud autem eſt hic animaduertẽdum. Totius, & partis ſignificationes multas in Philoſophia Ariſt. numerari lib. 5. c. 25. & 26. Duæ tamen ex omnibus præcipuæ ſunt. Primò enim totum dicitur, quod conſtat è partibus ipſum conſtituentibus, vt corpus membris ſuis totum eſt: ſecundò totum de partibus vna, & cõmuni ratione dicitur, vt vniuerſale, vel genus de ſuis formis ſubiectis: vnde animal homini, et beſtiæ comparatum, vniuerſale totum dicitur.

DE PRAECIPVA TOTIVS SIGNIficatione, & partitione. Cap. 31.

PRIMA igitur totius significatio, & maximè germana illa fuerit, cùm res ex partibus integrantibus constabit, eiusq; distributio verè partitio nominabitur. Atq; ita in omni disputatione (si longa sit) distributio hæc præcipua est: vt quæ procedit è causis rei naturam constituentibus. Vnde in omni legitima disputatione, postquam res est proposita, & generatim definita, diuidenda est, vt à primis causis rem ipsam constituentibus, oratio progrediatur. Hoc genus partitionis, ut arte, & præceptis: sic vsu, et tractatione primum esse in differẽdo debet: quia valet multum ad locupletandā orationem, & offert amplissimum dicendi cāpum: cùm id, quod generatim dici potest, latius explicamus, & in partes diducimus: Quod perinde est, ac si quis merces conuolutas ostēdat, & easdem mox explicet, atq; oculis aspiciēdas proponat. Quod vt apte fiat, initio summa rei proponenda est: deinde in partes ordine decēti diuidenda: quas cùm explicaueris, quasi volens inundantem riuum claudere, ad totum, si ne ad genus poteris redire, præcastigatione sic adhibita. Quid plura commemorem? Deniq;, ne diutius morer: ne plura quæ per è sunt innumerabilia, persequar, &c. Extat apud Ciceronem pro Plancio huius rei egregium exemplum: ab illis verbis. Etenim Iud. cùm omnibus virtutibus

bus me affectum esse cupiam,&c. Atq; hæc amplificandæ orationis ratio apud Oratores frequens est. Vnde, si velis aliquem ostendere bonis studijs fuisse deditum, conijcies statim oculos in ea, quæ possunt in partes distribui:& statim sese tibi offeret amplissima dicendi materia: Nam omnem ætatem complectitur, videlicet, pueritiam, adolescentiam, iuuentutem, senectutem. Iam bona studia, omnes artes, & virtutes cóprehendi vides. Virginé Dei matré totam esse pulchram cupis demonstrare? & corpore, & animo pulchram esse dices: mox totius corporis partes percurres, vt in Canticis à Salomone sponsæ pulchritudo cómendatur: deinde ad partes animi, perueneries, quas, vt prædicaueris, concludes, Virginem Mariam totam esse pulchram.

Vsus huius primi generis distributionis latè patet tam in affirmando, quàm in negando. Vnde ex omnibus partibus affirmatis, totum infertur: vt, anima rationis capax, & simul corpus est: igitur homo est. Sic corporis partes affirmatæ, corpus totum inferunt. Vt caput, pectus, vēter, & reliquæ corporis partes sunt coniunctæ: Igitur corpus est. Negatione verò non solum omnium: sed etiam quarundam, (si sint præcipuæ,) totum negatur: vt si caput nó est, neq; pectus: corpus igitur non est. Aliquando vna par-

te potissima negata, negatur totum: vt si radix non est, nec arbor quidem erit.

DE SECVNDO GENERE DIVIsionis. Cap. 32.

SECVNDVM genus diuisionis ex effectis dicitur, cùm res diuisa est causa, & partes diuidentes effecta: vt est illa Pythagoræ diuisio apud Cic. Tusc. 5. Hominum alij student gloriæ alij quæstui, alij rerum cognitioni. Ad hoc genus diuisionis pertinet generis in species diuisio, cùm genus in species sibi subiectas distribuitur, vt animalium, aliud homo, aliud bestia: Genus enim suarum specierum, seu formarum causa est. Qod satis declarat demõstratio, quæ ducitur ex causis. Cuius argumentum definitio est, quæ ex genere, & differentia conficitur. Vnde fit, vt genus, & differentia rei definitæ causæ sint, species verò quæ definitur, sit effectum. Genus autem difinitur, totum vniuersum, cuius essentia ad suas formas, siue partes æqualiter attinet, vt animal ad hominem, & bestiam. Virtus ad prudentiam, iustitiam, fortitudinẽ, & temperantiam: Sic enim Cicero Officiorum lib. 1. virtutem in suas species diuidit. Species verò est pars subiecta generi, (vt ait Plato in Ciuili, & Arist. Top. 1.) Differentia idem est, quod forma, si nomen differentiæ propriè sumas: attamen

tamen ſic diſtinguitur à ſpecie:vt de ſpecie genus efferatur,minimè de differentia: homo enim ſpecies eſt animalis,& dicitur animal.Differentia verò eſt particeps rationis, quæ non dicitur animal, niſi ratione rei ſubiectæ, quæ eſt particeps rationis.

Vſus, & tractatio generis, & ſpeciei multiplex eſt,Sic affirmato genere omnino, concluduntur ſpecies, vt omnes artes ſunt inter ſe coniunctæ:igitur poëtica,& eloquētia, cùm ſint artes,ars eſt genus,poëtica, & eloquētia ſpecies. Contrà,genere omnino negato, negantur ſtatim ſpecies;vt nullum vitium eſt laudabile: igitur nec auaritia erit laudabilis, &c. Secus, niſi genus omnino negetur,tunc enim,non erit firma conſecutio:vt ait Ariſt.2. Topic.De vſu ſpeciei notanda ſunt axiomata ſequentia. Si ſpecies vna affirmetur,genus ipſum affirmabitur, vt iuſtitia eſt laudabilis, igitur virtus eſt laudabilis.Si verò negetur, non protinus genus vniuerſè negabitur:vt ſi dicas.Platanus non eſt,ergo non eſt arbor : non eſt bona conſecutio. Si ſpecies omnes per negationem remoueantur: genus hinc negatè concludetur : vt prudentia nō eſt vituperabilis,nec iuſtitia,nec fortitudo, nec temperantia:igitur nulla virtus eſt vituperabilis. Cùm res generatim propoſita exemplis illuſtratur : tunc exempla ſpecies ſunt, &

& ad hoc diſtributionis genus pertinent: quia partes ſunt, ex quibus totum demonſtratur: vt homo Philoſophus eſt, vt Socrates, & Plato: hæc exempla ſunt ſpecies propoſiti generis.

DE TERTIO, ET QVARTO GENEre diſtributionis. Cap. 33

TERTIVM genus diſtributionis eſt ex ſubiectis: quando totum eſt adiũctum, & partes diuidentes ſubiecta. Sic Cicero Academ. quæſt. 1. Philoſophiam, vt adiunctum, diuidit in tres ſibi ſubiectas res, circa quas verſatur, nimirum, in res naturales, & occultas, in rationẽ diſſerendi, & in mores. Hæc enim tria, ſubiecta ſunt, circa quæ Platonis Philoſophia verſatur. Item, homines aut incolunt Aſiam, aut Affricã, aut Europam, aut nouum Orbem, &c.

Quartum, & vltimum genus diſtributionis eſt ex adiunctis: quando totum eſt ſubiectum, & partes diuidentes adiuncta: vt hominum alij ſunt candidi, alij nigri, alij medio colore tincti: Hæc diuiſio poteſt eſſe triplex ex triplici ſubiectorum, & adiunctorum diuiſione: prima ab adiunctis, quæ inſunt in ſubiecto: vt homines alij docti, alij verò indocti: ſecunda ab adiunctis quæ rem circunſtant; vt rex cinctus eſt partim equitibus, partim peditibus: tertia, ab adiunctis quæ circa rem ſubiectam occupantur,

&

& exercētur:vt ratio viuēdi docetur partim in Ethica disciplina, partim in Polit. et œcon &c. Atq; hæc dicta sint satis de quatuor distributio num generibus. Quorum præcepta, vt concludamus, notanda sunt bene diuidendi sequētia documenta. Primum, vt diuisio retrò cōmeet cum partibus simul iunctis:vt,si animal est, aut est rationis particeps:aut expers, & Vicissim. Secundum, vt nihil in ea desit, neq; redundet: quare redundans erit hæc diuisio. Animal aut est homo,aut bestia,aut equus:quia hæc tertia pars redundat. Tertium, vt diuisio constet ex contrariis aut re,aut ratione:vt animaliū aliud homo,aliud bestia. Quartum, vt, si fieri potest, cōstet ex duabus partibus : Quæ præcepta intelligenda sunt de dialectica,& perfecta diuisio ne, qualis est generis in subiectas sibi formas.

DE DEFINITIONE. *Cap. 34.*

DEFINITIO est oratio, quæ propriè, & breuiter rei naturam explicat,id est,hoc ipsum, quod res est : vt Plato docuit in Politico, & post eum Arist. 2. de Demonstr. Est autem de finitio vel perfecta,vel imperfecta: perfecta dicitur propriè definitio: imperfecta descriptio. Perfecta definitio constat ex causis rei essentiā constituentibus: quæ omnes genere, & forma comprehenduntur : sic homo definitur animal

rationale: nam per genus animal, intelligimus essentiam corpoream, plenam vitæ, & sensus, quæ est materies hominis, & pars formæ: cum qua, si rationale addas, totam formam comprehendes vitæ, sensus & rationis: quæ forma est etiam efficiens; vt quæ statum rei tuetur. Itaq; perfecta definitio nihil aliud est, quàm vniuersale symbolum causarum, rei essentiam, & naturam constituentium. Et tales sunt definitiones artium: vt Grãmatica est ars rectè loquendi: Rhetorica est ars benè dicendi. In qua definitione ars est genus, benè dicendi finis loco differentiæ positus, per quem à cæteris artibus distinguitur. Alterum genus definitionis, quod Græcè dicitur, catagraphi, id est, descriptio, ex omnibus locis, seu argumentis duci potest, differtq; à superiori, quòd non solum causas interiores, & essentiales explicat: Sed alijs præterea argumentis, tanquam externis coloribus, propositam rem exornat. Porphirius eam, hypographin, Rhetores, periphrasin, appellant. Cicero in Topic. paragraphin. Vnde ab effectis sumi potest: vt homo est animal ad risum natũ: & à subiectis: vt fortitudo est virtus, quæ in periculis versatur: Et ab adiunctis: vt homo est animal erectum maximo inter animalia cerebro latos habens vngues. Et à contrarijs: vt virtus est fuga vitiorũ: & à cõparatione: vt Ouid.

Stulte

Stulte quid est ſõnus, gelidæ niſi mortis imago?& ab etymologia: vt Grãmatica eſt ars literarum:& à Diuiſione: vt Dialectica eſt ars inueniendi,& diſponendi. Hinc conſtat, deſcriptiones ex locis omnibus fieri poſſe,&c.

Oratores autem,& Poëtæ deſcriptionibus longioribus frequenter vti ſolent; tum, quia illis propoſitum eſt, non ſolum docere auditores: verum etiam delectare: quod oratione copioſa fit:tum etiam,quia ſpecialia pluribus egent, vt definiantur,quàm vniuerſalia. Hinc eſt apud Vergil. AEne.lib. 1. AEneæ deſcriptio ab illo verſu.

Reſtitit AEneas,claráq; in luce refulſit,
Os,humeroſq; deo ſimilis,&c.

Et lib. 4. eſt optima famæ deſcriptio primò ab adiunctis,quæ inſunt in re,vt mobilis,velox, & inconſtans:Deinde ab effectis,quæ ſunt,ſeſe attolere,latè volare:mox à cauſa procreãte, quæ eſt terra,rurſuſq; ab adiunctis corporis,celeritate pedum, mobilitate alarum, multitudine oculorum, linguarum, ſermonũ, aurium: itẽq; ab effectis;quæ ſunt tota nocte volare,interdiu vrbes terrere:& à paribus, tam nugatoriã eſſe famam,quàm verax eſt. Hæc famæ pulcherrima deſcriptio incipit ab eo verſu. Fama malũ, quo non velocius vllum,&c. Quare,vt breuitas in perfecta definitione laudatur: ſic in deſcriptione

tione magnificentia, ea tamen lege, ne quid in ea desit, neq; redundet.

DEFINITIONES CONGLOBATAE, *energia, prosopopœia, prosopographia, topographia, &c. ad descriptionem referuntur. Cap. 35.*

REFERVNTVR ad descriptiones amplificationes illæ à definitionibus conglobatis: qualis est illa Ciceronis in Oratore. 2. descriptio historiæ. Huc etiam spectat energia, & euidētia, quæ dicitur hypotipôsis, & repræsentatio: cùm rem ita verbis describimus, vt cerni potius, quàm audiri videatur. Si personā describamus, vel viuētis, vel mortui, prosopopœia dicetur: vt si describas amantem, aut parasitum, aut auarum. Sic Cicero Catilinam, & alios improbos ciues describit, Annibalē Liuius, Traianum Plinius iunior, Vergilius lib. 6. AEn. multos claros viros, Homerus Græcos: inter quos, Achillem describit acrem, inexorabilem, simplicem, regibus infensum, pedibus velocem, nimium sibi in armis arrogantem, &c. Vlyssem verò vafrum, astutum, facundum, dissimulantē, omnia tolerantem, &c. Si ficta sit personæ descriptio, dicetur prosopographia, qualis est illa virtutis, & voluptatis descriptio apud Xenophontem, & Prodicum Sophistam; mortis, & vitæ, quas Ennius in Satyr. cōtēdētes inducit; occasio

occaſionis apud Auſonium, iuſtitiæ apud Gellium ex Chriſippo, Philoſophiæ apud Boëtiũ. Eſt autem in his deſcriptionibus ſeruanda ratio perſonæ laudandæ, aut vituperandæ. Decōrum quoq; ſeruandum eſt: vt virtus grauis deſcribatur, pax placida, ira fremens, ſtultitia inſtabilis, iuſtitia rectis, immotiſq; luminibus, Philoſophia vultu conſtanti, & authoritatis pleno, Theologia adhuc conſtantiore, & grauiore vultu: quæ è diuis vna videatur, fixis in cœlum oculis; cuius eſt de Deo tota diſputationis ratio. Si locus deſcribatur, vt ager, vrbs, &c appellabitur topographia, qualis eſt Carthaginis deſcriptio apud Vergil. lib. 1. AEn. Laurentis villæ apud Plinium in epiſt. Sedes ſomni apud Ouid. lib. 11. Metamorph. Domus famæ ibidem: regiæ domus ſolis lib. 2. Syracuſarum apud Ciceronem Verr. 6.

DE PLVRIBVS LOCIS, ET ARGVmentis ad varia loca deſcribenda. Cap. 36.

VT autem loca diuerſa deſcribamus, ante oculos proponamus argumenta, à quibus facilè deſcribi poſſunt. Atq; in primis, ſi regionẽ velis deſcribere, argumenta erunt ab ea orbis parte, cuius regio eſt, vt Hiſpania Europæ regio eſt: & alijs regionibus, quibus cingitur, vel à Septẽtrione, vel Meridie, &c. Itẽ à regibus, & duci-

ducibus:ab vrbium frequentia,à rebus,quibus abundat,vel auro,vel argento:à moribus, à tuto transitu,à ritibus,&c.
Vrbis descriptio sumitur à situ, ab aëris salubritate,à conditore,ab antiquitate, à fertilitate,à Rep.à Senatu,à Populi frequentia,à Religionis studio,à Collegijs,& Gymnasijs, in quibus disciplinæ docentur;ab ingenijs ciuium,& eorum bellicositate,à concordia, & vrbanitate,à domorum frequentia,& magnitudine ædificiorum,à territorio,vbi montes, villæ, & flumina cmmemorari possunt. Agri descriptio fiet à loci salubritate,à vario arborũ genere, à copia fructuum,à cultoribus,à floribus,&c.
Vide Cic.lib.de senectute. Flumen describetur à nomine,ab ortu,ab amplitudine,à locis,quæ præterfluit,à colore,& dulcore,ab agris,& nemoribus,quæ irrigat, à piscibus, & à fluminibus, quæ in illud influunt. Tẽporis descriptio, (quæ græcè dicitur chronographia) sumitur à solis claritate,à lætitia,qua omnes perfunduntur,à nubibus cœlum ipsum implentibus: à pluuijs,& tempestatibus, &c. Auroræ descriptio sumitur à roseo illo colore, à sole aduentante, à garritu auium,ab aura, quæ tunc spirat salutari,ab apto tempore vacandi literis. Vnde est illud cõmune dictum, aurora gratissima musis. Meridies describetur à luce solis clarissima, à tenuiori-

tenuioribus vmbris, quas medius dies contrahit: vnde Ouidius. Iamq; dies medius tenues contraxerat vmbras, & Valer. Flacus.

Iam summas cœli Phœbus candentior arces
Vicerat, & longas medius reuocauerat vmbras.

Nox describetur à placiditate, & quiete, qua corpora recreantur, & reparantur: à somno, quem Ouid. Meta. 11. Sic laudat.

Somne quies rerum, placidissime somne Deorum.
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Fessa ministerijs mulces, reparasq; labori.

Noctis mediæ descriptionem habes apud Statium hoc modo.

Scandebat roseo medij fastigia cœli
Luna iugo totis, vbi somnus inertior alis
Defluit in terras, mutumq; amplectitur orbem.

Veris descriptio sumitur à Zephiris eo tempore flantibus, à floribus tunc nascentibus: vnde vocatur ver floridum, purpureum, placidum, iucundum. Adde quod omnia eo tempore ridere videntur; item, ab aëris temperie, ab aura salutari, ab auium concentu, &c. Vide apud Vergil. lib. 2. Georg. veris descriptionem, ab eo versu. Non alios prima crescentis, &c.

AEstiui temporis descriptio sumitur ab agris optimas segetes ferentibus, à solis ardoribus, à fluuiorum decrescētia, à messibus metendis, à frugibus in horrea cōdendis, &c.

Autum-

Autumni tempus deſcribi poteſt à vitibus, qui bus implentur fœcundi lacus, à vindemia, & ab iis, quæ in ea accidunt: ab aëris intemperie, & morbis variis.

Hyemis tempus deſcribetur ab immanitate frigoris, à breuitate dierum, à ventis, & pluuiis aſsiduis, à fluminibus gelu concretis, à frondibus ex arboribus decidentibus, &c. Hæc temporis deſcriptio Poëtis magis, quàm Oratoribus familiaris eſt.

DE HIS, QVAE IN DESCRIPTIOnibus ſeruanda ſunt. *Cap. 37.*

DDENIQ; in deſcriptionibus ſiue rerum, ſiue perſonarum totam rei naturam, omneſq; circunſtantias animo luſtrabimus, & adiuncta, à quibus deſcribetur, ſiue ſenſibus, ſiue ſola mente, & intellectu percipiatur. Et rerum quidem, quæ ſub ſenſus cadunt, facilis eſt deſcriptio: vt ſi deſcribas hominem à ſtatura, à colore, à quantitate, à cultu, & veſtitu, &c. Quæ verò ſub ſenſus non cadunt, difficilius deſcribuntur, attamen, quò ad fieri poteſt, ad naturam ſuam, id eſt, ad cognitionem ſenſus, aut mentis noſtræ: cùm vocabulis vtimur aptis explicationi rei, vel perſonæ, quam volumus deſcribere: vt cùm dicimus Deum,

Deum æternum, immortalem, ſapientiſsimum, &c. Aut Theologiam eſſe diſciplinam, quæ per cælos, perq; humana, & diuina omnia peruagatur; animumq; noſtrum rerum illarum cognitione imbuit; atq; ita componit, & munit, vt inuictum illum reddat contra omnes fortunæ minas & incurſus. Spiritalia hæc perſona quadam induuntur, quæ eorum opera, actioneſq; demonſtret. Sic Philoſophiam talem deſcribemus, quales ſui ſtudioſos facit. Quare Boëtius illam repræſentauit reuerendo vultu, venerabili macie, pallore decoro, ſtatura adeò procera, vt cœlum, ac ſidera ſuperet, atq; oculis ad fortunæ minas inconiuentibus.

IN REBVS DESCRIBENDIS QVAlis ordo ſeruandus. *Cap.* 38.

IN rebus, ſeu perſonis deſcribendis, ordo ſeruandus eſt. In breuioribus deſcriptionibus, quæ velut punctis attinguntur, nullus ordo eſt: nec vbi res confertim effunduntur: Quin potius ordinis negligentia clarius rem oſtendit: vt ſi pratum deſcribas, in quo permiſti ſunt variorum, generum, & colorum flores. In longioribus verò deſcriptionibus, quibus res eſt explicatione,

velut depingenda, optimum eſt naturæ ordinẽ ſequi: Quæ primò rem vtcũq; format, tanquam rudem. Hinc ſingulis paulatim partibus faciem ſuam tribuit, quò ad perfectam reddat: vt pictores, & cælatores in picturis, cælaturiſq; faciunt. Sic igitur in deſcribenda re primò rem vniuerſam proponemus: poſtea per eius præcipuas partes ducemus, ac tandem, ſi quid ſit naturaliter primum æquè expoſitum intelligentiæ noſtræ, id primum locum occupabit: vt in prælio apparatus militum primus eſt, in conuiuio dominus, locus, &c. Verba in deſcriptionibus ſimplicia ſint, propria, & rebus apta: nempe, grandia rebus grandibus, feſtiua, & dulcia rebus dulcibus, & lætis. Metaphoræ, & ſimilitudines optimè rem exprimunt. Sic Cicero in Piſonem. in oratione pro Seſtio dixit. Exanimatus euolat è Senatu; non minus perturbato animo, quàm ſi annis antè paucis in conuentum creditorum incidiſſet. Tum per amplificationẽ & hyperbolem: ipſi parietes lugere videntur, aut lætari. Epitheta quoq; maximè rem oculis ſubijciunt. Atq; hæc de deſcriptionibus latius à nobis dicta ſint. Deinceps de teſtimonijs diſputemus.

DE ARGVMENTO INARTIFITIA-
li. i. de teſtimonijs. Cap. 39.

HAC-

HACTENVS insita argumenta sunt exposita: iam ad extrinsecus assumpta veniamus: Et ea sunt, quæ ex se, & natura sua fidem non faciunt: sed eorum fides, & probatio expenditur, & confirmatur argumento aliquo artificiali. Diuitur autem argumentum hoc inartificiale de Aristotelis sententia lib. 1. Rhetor. ad Theodectem. c. 5. in quinq; modos: nimirũ, in legem, in testimonium, in pactum, in quæstionem, & iusiurandum. Qui omnes ferè authoritates, & testimonia appellantur. Per legem intelligo vel diuinam, vel humanam. Sic Cicero pro Milone, à lege scripta, & non scripta his verbis disputauit. Est enim Iud. nõ scripta, sed nata lex, &c. Quibus argumentatur à lege naturali, licere cuiq; vitam suam contra vim inimicorum tueri. Testimonia vel sunt diuina, vel humana. In pactis sunt tabulæ publicæ, & priuatæ, quæ assumuntur ad aliquid, vel affirmandũ, vel negandum. Hûc pertinent fœdera, quæ sunt publica, & priuata: Pignus quoq; pactum quoddam est, quod deponitur ab his, qui apud sequestrum decertant. Per quæstionem intelligo tormenta, vel cruciatus ad veritatem extorquendam. Iusiurandum est affirmatio religiosa. Sed nos omissis reliquis, tractemus testimonia, quæ sunt in hoc argumenti genere potissima. Et ea vel sunt diuina, vel humana. Diuinum

testimo-

testimonium est, cùm authoritas diuina assumitur ad aliquid vel affirmandum, vel negandum. Et quoniam Deus ipse non solum virtutibus excellit: Sed, si quæ etiã hominibus insunt earum autor est, & causa: tantum ad faciendam fidem valent diuina testimonia, vt reliqua argumenta momentum nullum habeant, nisi quatenus cum diuinis testimonijs congruunt, aut certè ab illis minimè dissentiunt. Et idcircò diuina testimonia præstant omnibus argumentis: Quibus ideo summa fides adhibetur, quia ab ipso Deo, qui est summa veritas, prolata sunt: Cuiusmodi sunt leges à Deo Hebræis latæ, & Euangelium Christi, id est, vetus, & nouum testamentum. In quibus continentur, quæ à Prophetis, & à Christo, & ab Apostolis, alijsq; diuino numine afflatis, prolata sunt: per quos veritas ipsa, id est, Deus, loqui dicitur. Quæ verò ab Ethnicis diuina dicuntur testimonia: partim in eiusmodi rebus sunt, (licet impijs, & falsis,) quas vel dij, vel homines eorũ afflatu pronuntiassent: partim in diuinatione, quæ olim fuit, vel artificiosa in coniecturis ominum, & sortium, in obseruationibus extorum fulgurum, & ostentorum: vel naturalis in furore mentis, & diuina per somnium prouisione.

DE TESTIMONIIS HVMANIS.

Cap. 40.

HVMA-

HVMANA testimonia ex hominibus sumuntur, in quibus authoritas inest ad faciendam fidem. Atq; ea bifariam hoc loco distinguntur: tum ex genere, & authoritate hominum, vt Philosophorum, Oratorum, Poëtarum, virorumq; aliorum excellentium, quorũ sententias clariores Plutarchus collegit: tùm ex ratione, & formula testãdi: vnde pacta sunt, & promissa, potestas experiẽdi aduersario cõcessa, iusiurandum, & alia multa, vt sunt approbationes, rumores, fama incerto autore, præiudicia, testes, & quæ vi tormentorum extorquẽtur: prouerbia quoq;, & consensus hominũ: Ac deniq; omne ius naturæ, gentium, & ciuile. Sed nonnulla exempla ex autoribus profanis in medium proferamus ad testimonium humanum illustrandum: vt Socratis, Vnicum bonum est scientia: et vnicum malum ignorantia: et Horatij. Nemo sine crimine viuit: & Ciceronis pro Mil. Proposita inuidia, morte, pœna, qui nihilo segnius Remp. defendit, is vir verè putandus est. Philip. 2. reprehẽdit Antonij pactum, dicens. Quid autem agebatur, nisi, vt delere, & euertere remp. funditus velles? Idem de promissis Philip. 5. Audebo etiam obligare meam fidem. P. C. vobis, populoq; Rom. quod profectò, cùm me nulla vis cogeret, facere non auderem, pertimescerẽq; in re maximè periculosa,

opinionē temeritatis: Promitto, recipio, ſpō-deo. P. C. Cæſarem talem ſemper fore ciuem, qualis hodie ſit, qualemq́; eum maximè velle, & optare debemus. Poteſtas experiendi eſt apud Terent. in Eun. Fac periculum in literis, fac in paleſtra, &c. Iusiurandum, quod eſt magnū vinculum ad aſtringendam fidē, eſt apud Verg. AEneid. 6. *Per ſidera iuro.*

Per ſuperos, & ſi qua fides tellure ſub ima eſt:
Inuitus regina tuo de littore ceſsi.

Et quoniā humana teſtimonia infirmiora ſunt omnibus argumētis, in omni diſputatione extremo loco ſunt ponenda. Vt cùm ſententiam tuam multis argumentis confirmaueris: ad extremum ſimpliciorum, & imperitorum cauſa (ſi qui adſint) humana teſtimonia proferas. Monet tamen Socrates apud Platonem, & Rhetores de hac ipſa re, in exquirenda veritate, tātum eſſe credendum teſtimonijs, quantum ratio permiſerit. Et Plato in Protagora ait, eos, qui teſtimonijs vtuntur, ſimiles eſſe imperitis, & idiotis conuiuis, qui pecunia tibicines conducunt, quotum voce, & ſono conuiuia ſua celebrant. Et in Charmide docet, conſiderādum eſſe, verène dictum ſit, non qui dixerit. Quam obrem, hoc argumentum à veteribus videtur inartificiale dictum: non quòd locum, & præceptum in arte non habeat: ſed quòd ex ſe, & natu-

natura sua facultatem probationis nō habeat: nec quod potest, per se posit (neq; enim propterea res erit, aut non erit, quòd affirmata sit aut negata.) Sed hæc fides famæ, & existimationi personæ tribuitur, cuius testimonium profertur: Mores enim, qui sunt adiuncta, & attributa personarum, cuiusmodi sunt prudentia, bonitas, & beneuolentia, sunt maximæ persuasionis, si prudentia, bonitas, & beneuolentia sint cōiunctæ, vt ait Arist. lib. 1. & 2. Rhet. Vnde de genere hominū his credimus, qui propter prudentiam vera sentire, & propter bonitatem ea dicere, quæ sentiunt: & propter beneuolentiam nobis rectè consulere videantur. Quare hoc argumentum inartificiale dicitur, quòd per se parum posit: sed adhibitis circunstantijs, aliquid habet probationis. Fuit sanè olim hoc argumētum celebre in schola Pythagoræ, cuius discipuli pro ratione respondebant: ipse dixit, id est, Pythagoras, idq; doctoris authoritate, & reuerentia. Vsus huius argumenti maximus est in iudicijs, & ciuilibus negotijs: his enim lites instituuntur, & de fama, de capite, et fortunis ciuium iudicatur. Qua propter Rhetores hoc argumentum in vtrāq; partem tractarunt: vt pro testibus, & cōtra testes, &c. Atq; hæc in vniuersum de inuentione cōmuni, & generali.

ARGVMENTA SOLA RATIONE *separãtur, & de eorum vſu. Cap. 41.*

GENERA autem argumentorum hactenus diſputata, etſi ſingula propriam vim habẽt: tamen ſola ratione ſeparantur: eadem enim res poteſt modò eſſe cauſa, modò effectũ, modò ſubiectum, modò adiunctum, &c. Vt homo eſt cauſa boni & mali, & effectum earum partiũ ex quibus conſtat: & eſt ſubiectum ſanitatis, et morbi, & adiunctum terræ, & contrariũ beſtiæ, & ſimilis angelo, &c. Sed variæ ſunt rationes, cur hoc, vel illud ſit. Quin etiam, idem argumẽtum in eâdem quæſtione ad alium, atq; alium locum pertinet: vt Rullus opprimit populum: ergo non eſt popularis. Opprimere populum, effectum eſt Rulli. Idem opprimere populum, opponitur parti quæſtionis, nimirum, popularis: atq; ex parte coniugatum eſt. Quod cùm accidit, ad locum magis inſignem, referẽdum eſt: vt in exemplo Rulli dicam. Locum, ſeu argumentum eſſe potius ex oppoſitis, quàm ex effectis, ſeu cõiugatis, &c. Iam verò animaduertendũ illud eſt: vt propoſitis quæſtionibus, quærantur argumenta. Si artes, ſi res ſtabiles, & æternæ ſubtiliter ſint explicandæ, ex cauſis aſſumpta declaratio aptior erit: ſi deliberatio de pace, ſi iudicium de facinore, ſi cõmendatio rectè factorum, aut quiduis eorum, quæ quoti-

die euenire solent, disputandum sit: nullũ erit argumentum, quod non posit iuuare. Quam obrem, si in hac argumentorum exposita inuẽtione diu, multumq; nos exercuerimus, procul dubio promptißimè inueniemus argumenta ad faciendam fidem.

DE TRACTATIONE, ET INVENtione speciali triũ generum causarũ. Cap. 42.

QVANVIS autem ex tradita argumentorum doctrina quælibet argumenta ad omnem disputationem, & orationẽ sumi possunt: tamen, quia non omnes eo præstant ingenio, vt facilè posint ex ea argumenta magis specialia ad quamlibet causam inuenire, specialẽ omnium causarum inuentionem ante oculos proponamus. Et in primis dicendum esse videtur. De omnium Rhetorum sententia, tria esse causarum genera. Vnum demõstrationis, deliberationis alterum, & tertium iudicij. Et sub priori quidem genere continentur doctrina, & historia, & argumenta, & laudationes, ac vituperationes. Deliberationis sunt suasio, & dissuasio, petitio, & cõsolatio, ac exhortatio. Sub iudicio comprehendũtur accusatio, & defensio, expostulatio, & exprobratio, &c. Deniq; nihil est, quod sermone tractari posit, quod nõ incidat in horum trium vnum. Hũc enim referuntur

queri,consolari, mitigare, concitare, terrere, confirmare,præcipere,obscurè dicta interpretari,narrare,deprecari,gratulari, gratias agere,obiurgare,malè dicere, describere, optare, opinari, & alia sexcenta: Quæ omnia ex rerũ, argumentorumq; differentia, non ex dicendi genere sumũtur. Quare tria illa genera causarum ex dicendi ratione colliguntur: & ad tria illa,tanquam ad fontes dicendi, & non rerum, omnis tractatio, quæ ab Oratore explicatur, referenda est.Quare,cùm dico,tria esse genera causarum,intelligo tres modos,seu formas dicendi,quibus omnis Oratori proposita materia,quasi dicẽdo,informatur. Ex quibus facilè est colligere,latius apud me patêre nomẽ causæ,quàm apud Rhetores: ab illis enim hæc causarum genera tantum ad causas forenses,&declamationes accomodabantur: ego verò ad omne dictionis genus & scriptionis ea adhiberi posse dico.Iam igitur singula tractemus.

DE GENERE DEMONSTRATIVO, *deq; eius diuisione. Cap. 43.*

EST ergo genus demonstrationis, quod in laudatione, seu vituperatione versatur: cuius finis est honestas,vel turpitudo. Est enim Oratoris, in hoc genere honesta, & vtilissima quæq; laudare: atq; his contraria vituperare:

in

in eoq; delectationem auditoris sibi proponere. Patet autē tam latè genus hoc laudationis: vt non modò Poëtæ paruis rebus lasciuiant, & exultent: sed Oratori quoq; sit concessum, minima quæq; laudare, seu vituperare. Deniq; nihil est diuinarum, humanarumq; rerum, quod laudationis genus vel ex officio suo non exerceat, vel amplitudine sua non complectatur.

Est autem triplex à rebus varijs, quas laudamus: nam aut laudamus personam, aut facta, aut res alias. Personam tripertita ratione laudare possumus: in ea enim laudanda, aliquãdo à primordijs ad finem vsq; historiã narramus, rerumq;, ac temporum gradus in dicendo sequimur: Atq; ita laudes eius per tempora distribuimus: & quid prius ante natalem ei acciderit, exponimus. Deinde quid in vita dixerit, ac fecerit, laudamus: & quid post mortem subsecutum fuerit, cõmemoramus. Vel secundum ætatis discrimina: et sic quid prima ætate, quid media, & extrema gesserit, laudibus ornamus. Huc pertinet illud Quintiliani lib. 3. vbi laudes hominis in tria tempora diuisit, nempe, in præteritum, in quo patria, parentes, prodigia, &c. Et in præsens, in quo animi bona, corporis, & ætatis gradus comprehenduntur. Et in consequens, in quo ea quæ post mortem: vt statuæ, funera, &c. Argumenta ad personam laudan-

dam,cùm temporum seruamus gradus,ea sunt genus,natio,patria,educatio,institutio,sodalitia,studia,mores, res gestæ, mors, & quæ post mortem subsecuta sunt.Genus statum, & conditionem auorum,& proauorum dicit.Hoc genus censet Quintilianus ita esse tractandum: vt si sit illustre,honestum esse dicamus,splendoriq;, & virtuti maiorum respondere: Si verò humile, & obscurum,fuisse ab eo,quem laudamus,virtute,& rerum gestarum gloria illustratũ. Natio indicat mores,& ritus gentis, quæq; ad constitutionem,& naturam pertinẽt.Patria situm,& loci naturam,vnde oriundi sumus. Hi tres loci magnã vim in omnes homines habẽt: nam & liberi parentes suos moribus referunt, atq; ingenio,institutisq; vitæ etiam sequuntur: & è cœlo formatum genus hominum est: vnde suam illam quæq; natio tam admirabilẽ oris, vultus,& linguæ varietatem habet. Sic Cicero pro Flaco. Asiaticorum fidem, & testimonium à natione eleuat,& Atheniẽses laudat à patria, dicens.Adsunt Athenienses, vnde humanitas, doctrina,religio,fruges, iura, leges ortæ sunt, atq; in omnes terras distributæ putantur.Institutio,pædagogos indicat et præceptores: sodalitia,sodales,& æquales: studia artes liberales,& circumforaneas indicant. Mores,& vitæ conditio ex his constãt,quæ virum iustum, &

pru-

prudentem decent. Res gestæ facinora præclara explicant. In morte agitur de animi constantia in tollerandis doloribus, & de genere mortis, vt de pompa funerali, de luctu, de miraculis, si quæ fortè contigerunt: de fama etiam, quæ post mortem subsecuta fuit. Hûc referuntur bona animi, corporis, & fortunæ. Inter quæ potissima sunt animi: cuiusmodi sunt acumen ingenij, firmitas memoriæ, naturæ docilitas, iudicium, & quæ industria nostra comparantur, disciplinæ, & artes omnes, siue quæ solo ingenio exercentur, siue quibus manus adhibētur, prudentia, virtutes: Inter quæ primas tenent, quæ consilio, et diligencia nostra comparātur: vt sunt literæ, & virtutes. Bona corporis sunt, in cute forma, in neruis robur, in proportione pulchritudo, bona valetudo, sagacitas sensuū, dignitas oris, facundia, &c. Commendant hæc quidem virtutem perse: speciosiora tamē sunt, quando augentur, & decorantur animi probitate. Postremas partes tenent fortunæ bona: vt genus, diuitiæ, potestas, conditio, ars vitæ, vxor, liberi, serui, consanguinei, &c. In quibus bonis vera laus nō est, quæ soli virtuti debetur: sunt enim fluxa, & prorsus caduca, quæ in horas mutātur. Quare si à fortunæ bonis laudare velis, ea ad virtutem referes: nemo enim laudatur, quòd diuitijs affluat, sed quòd his benè

vta-

vtatur. Similiter si à corporis bonis laudes, da bis operam, vt ex illis animi virtutes ostendas: vt si per pulchram formam mentis pulchitudinem significes. Atq; hæc est prima ratio laudãdæ personæ.

DE SECVNDA RATIONE LAVdandæ personæ. Cap. 44.

SECVNDO modo personam laudare possumus, cùm relicta totius vitæ serie, virtutes, quæ in ea præcipuæ fuerunt, cõmendamus: cùm dicimus, quid fortiter, quid prudenter, quid iustè, & temperatè dixerit, ac fecerit. Sic in Abrahamo fidem, & obedientiam laudibus ornamus. In Iob patientiam, in Mose mansuetudinem, in Dauide sanctitatem, in Paulo animi magnitudinem, & laborum tolerantiã, &c. Extat huius laudis egregium exemplum apud Cic. pro M. Marcello. Cùm enim Cicero digressus esset ad laudandum Cæsarem, hanc laudandi rationem sequutus est: & Cæsarem ab humanitate, à sapientia, à clementia, & à rerum gestarum gloria ornatè, & copiosè cõmendauit.

DE TERTIO MODO LAVDANDAE personæ. Cap. 45.

TERTIO modo possumus personam laudare per collationem: si eam cum ijs confe-

ramus,

ramus,quæ sunt eiusdẽ generis. Quod Cicero fecit in eâdem oratione pro M.Marcello: nam postea quam Cæsarem cum multis magnis viris comparauit;tandem omnibus illis superiorem fecit.Atq; hic tertius modus laudãdæ personæ est à Poëtis, & Oratoribus maximè frequentatus. Neq; verò solum homines laudamus:sed etiam Deum ipsum, quòd Pater supremus sit,quòd Rector,& custos sit,protector,& vitæ dator,prosperitatis & quietis:fons,& origo omnium, quæ votis experi possunt. Deinde ad similitudinem nostrarum laudũ laudamus illum à triplici bonorũ genere, fortunæ, quòd nulli sit obnoxius: corporis, quòd omniũ malorum, quæ humana corpora solent infestare, sit expers:& animi, quòd iustus sit, & clemens, & longanimis, & propitius,&c. Deniq; quòd summè sapiens sit. Argumenta ad personam laudandam sunt ex inuentione generali sumenda:Quorum præcipua sunt,causæ,facta,adiuncta,comparationes,& testimonia.Nam in caussis, quas diximus procreantes, sunt parentes, & maiores: in effectis inuenta, dicta, gesta: in adiunctis bona animi, corporis,& fortunæ: & personarum attributa,sunt natio,patria,&c.

QVOMODO FACTA SVNT LAVdanda. Cap. 46.

HAC-

HACTENVS de laudandis personis tradita sunt præcepta: iam verò dicamus, quẽadmodum facta laudari possint. Et facta quidem hic appellamus, virtutum præsertim opera, et etiam literarum monumenta. Facta autẽ singularum ætatum diligenter excutiẽda sunt, tam ad laudandum, quàm ad vituperandum. Quanquam infantiæ, & pueritiæ facta modicè sunt attingenda, nisi in illis aliquid admirabile sit. Adolescentia potest laudari à linguarum peritia, ab artium cognitione à præceptoribus, ab amore literarum, à sedulitate, à facilitate discendi; ac deniq; à moribus huius ætatis. Iuuentus quoq; laudari potest ab instituto vitæ, vbi ostendemus personam in maiorum honestissima viuendi ratione excelluisse, aut aliqua addidisse sua. Vt Cononis filius, qui ad bellicam laudem, qua patri inferior minimè fuit, doctrinæ, & ingenij gloriam adiecit. Aut omissa maiorum imitatione, meliorem vitæ rationem instituisse. Qua in re, maximè laborant obscuris orti maioribus. Item; à rebus gestis publicè, & priuatim, prudenter, iustè, temperatè, &c.

Senectus quoq; laudari potest à seueritate, à taciturnitate, à liberalitate, à prudentia, et consilio, quibus amicos, iuuentutem, & Remp. adiuuit, &c.

Eadem

Eadem ratio laudandi hominis, teneri potest in laudandis brutis: vt si equum laudes, expones commoda, quæ generosum animal afferat: Quantum bello, quantum pacis tempore præstet: Tum etiam commendantur eius alacritas ad pericula, fidelitas erga dominum, patientia, mansuetudo, obsequium, &c. Multaq; alia, quæ nostras virtutes videntur imitari. Itaq; in bonis corporis est robur, velocitas, decor, membrorum, conformatio, &c. In bonis fortunæ sunt ornamenta, phaleræ, frena, cultus, generositas, cura ei adhibita à principibus viris, &c.

RES QVOMODO POSSINT LAVdari. Cap. 47.

RES etiam laudamus alias, quæ sunt maximè variæ, et multiplices, vt regio, vrbes, flumina, &c. In rebus artes, et virtutes numerantur. Argumenta laudandarum artium hæc sunt. Origo vetusta, inuentores, artium diuisio, materia, finis, amplificatores, qui, et quanti progressus artium huc vsq;, honores habiti: &c. Virtutes quoq; laudamus ab inuentore, & autore deo, ab honestate, à necessitate, & ab earum effectis, &c.

Res esset infinita velle tradere agumenta ad res quasuis laudandas: Illud tamen admonendum

nendum est: vt rem, quam laudare velimus, semel atq; iterum præsenti animo inspiciamus, totamq; eius naturam, & omnes circunstãtias diligenter excutiamus, sic enim inueniemus argumenta, à quibus laudetur, aut vituperetur, &c.

Illa autem in hoc demonstratiuo genere præclara sunt secundum Arist. quæ quis facit aliena potius causa, quàm sua: vt quæ pro patria, (propria vtilitate despecta) fecit: & quæ in mortuos potius, quàm in viuos possunt redundare, & quæ gratia ipsius honestatis suscepta sunt. Item, pulchriora sunt, quæ quis præcipua, & solus habere videtur: vt lib. 2. de Oratore dixit Cicero: Quare multum valet, si quis solus, aut primus, aut certè cum paucis aliquod bonum fecit, si supra spem, et expectationem. Et quoniam ad voluptatem auditorum omnia in genere demonstrationis referuntur, possunt adhiberi omnia illa rerum, & verborum ornamẽta, quæ dicemus in elocutione. Itemq; inopinata, & mirabilia. Deniq; tota oratio erit perpetua quædam bonorum expositio.

DE GENERE DELIBERATIONIS.

Cap. 48.

DE genere demonstrationis, ac de illius inuentione speciali satis multa diximus. Deinceps

inceps diſputemus de genere deliberationis. Et illud quidem eſt, quo quidquam ſuademus, aut diſſuademus. Quintilianus hoc genus appellat ſuaſorium; alij concionale. Huc pertinet obiurgatio, exhortatio, reconciliatio, conſolatio, petitio, monitio, commendatio: quiſquis enim aliquem obiurgat, ſuadet vt culpam ſuã agnoſcat, & qui exhortatur, ſuadet vt audeat, &c.

Eſt autem animaduertẽdum, quòd ſuademus, vt quis velit, & exhortamur, vt audeat: quò fit, vt dubij, & ſententiæ noſtræ contrarij, ſuaſione pertrahendi ſint, vt velint: remiſsi verò excitandi ſint exhortatione, vt audeant. Cicero. in Partitionibus Oratorijs finem huius generis ait eſſe vtilitatem ab honeſtate non ſeparatã: ad quam omnia in conſilio dando, & ſententia dicenda, referuntur. Loci, ſeu argumenta huius generis deliberationis propriè duo ſunt, vtilitas, & efficiendi facultas. Neceſſarium addidit Cicero: Sed à multis locus hic reijcitur, quia ſatis eſt rem decoram eſſe vtilem, & poſsibilẽ. At ſi neceſſarium addas cum Cicerone, videndum erit, quid aut neceſſe ſit, aut non neceſſe. Neceſſarium autem hîc eſt intelligendum, non illud, quod vocant Dialectici ſimplex, et abſolutum, quod fieri aliter non poteſt: (hoc enim tollit omnem deliberationem) Sed illud, quod

 aiunt

aiunt ex conditione: vt si suadeas, necessariò gerendum esse bellum, nisi velimus, grauius aliquid subire, id est, si liberè, & tutò viuere velimus. Quod tamen necessarium Quntilianus ad vtilitatem retulit: vt vulgus hominum vsurpat. Ait tamen Cicero in Partition. Cùm tractemus de necessitate, si aliquid videbitur non necessarium: videndum erit, quàm sit magnum: quia, quod permagni interest, pro necessario sæpe habetur, q. d. permagnam esse in re vtilitatem propterea quod, quædam velut necessitas incumbat. Sic olim Roma seruos in Annibalē armauit propè necessariò: quia id opem ferre posse Reip. putauit. Atq; his locis, seu argumētis propositis Cicero duos alios minores adiunxit: nempe, rei magnitudinem, & facilitatē: nam cùm quæritur, quid fieri possit, videndum etiā est, quàm facilè possit: Quæ enim perdifficilia sunt, perinde habenda sæpe sunt, ac si effici nō possint. Quamobrem dixit Cic. Cùm cōstet hoc deliberationis genus ex suasione, et dissuasione, suasori proponitur simplex ratio, et via tractandi: (nimirum, quia in vna, & eadem oratione hos duos locos vtile, & possibile, perpetuò probare debet) si enim alterum solummodo tractet, auditor ad rem suscipiendam minimè impelletur. At dissuasori alterum labefactare satis erit. Nempe, vel improbare, rem

vtilē

vtilem esse, vel impugnare, fieri non posse.

QVAE SVNT CONSIDERANDA *Suasori, & quòd omnis deliberatio de futuris est, & in manu nostra positis. Cap. 49.*

SED vt hoc deliberationis genus accuratius pertractemus: hæc cõsideranda nobis sunt. Quis sit cui consulimus, tum, qui nos, deinde qui alij consultores: Sunt enim deliberantium animi diuersi: siue consultent plures, siue singuli: quia in pluribus multum interest, Senatus ne sit, an populus? Romani, an Hispani? Et in singulis Cato, an Cicero? Item quibus de rebus dicamus, quo loco, tempore, ac rerum statu. Quæ sic à me dicta volo, vt minimè longis interuallis cogitanda sint: Sed velut vno oculorum aspectu colligenda, & inter se conferẽda. Omnis autem deliberatio de futuris est, non necessarijs simpliciter, nec impossibilibus, sitis in deliberantis potestate: vt agere possit, & nõ agere. Nemo enim deliberat, quid heri fuerit, aut anno superiore: nec an ambulet, cùm ambulat: nec an moriendum sibi sit. Tametsi nonnulli de inferenda sibi morte consulunt. Nec an sol orietur cras, nec an volabit: neq; seruus, an liber fiet, deliberat: quæ non est ipsius, sed domini deliberatio. Nimis verò difficilia pro

impoſsibilibus habentur: ideoq; reijcimus tanquam deplorata. Ergo de illis, quæ ſunt in poteſtate noſtra, conſultamus: Quæ ſanè tractantur diligenter conſiderata voluntate, & facultate: Qui enim vult, et poteſt, faciet: quorum alterum ſi deſit, minimè facturum eum puto. Voluntatis conſideratio poſita eſt in cauſis, in ratione, in affectionibus, Quæ cauſa ſit, cur velit, quæ mens eius, quibus permouetur affectionibus. Facultas eſt in viribus ingenij, corporis, & externorum: quibus diuitiæ, ſeruitia, amici, opes, potentia, &c. comprehenduntur.

QVOD OMNIS DELIBERATIO SIT *de bono, deq; duobus generibus bonorum.*

Cap. 50.

ET quoniam in his, quæ ſunt in poteſtate noſtra, omnia ad deliberantis voluntatem referuntur, (illud enim modò quæritur, vt velit, aut nolit) voluntaſq; in bonum ſemper fertur re vera tale, aut quod tale exiſtimetur: fit, vt omnis deliberatio ſit de bono, & hinc de contrario eius malo. Bonum appellamus, quod expetimus, vt profuturum: malum verò quod fugimus, vt nociturum. Prodeſt autem aliquid vel animo, vel corpori: Animo prodeſt virtus, eruditio, ingenium, prudētia, &c. Corpori prodeſt valetudo, voluptas: Corpus ad animum refer-

refertur,& quæ sunt in animo, omnia ad rectā voluntatem. (quæ dicitur virtus.) referuntur, tanquam ad dominam, & principem. Atq; ita duo sunt bona, vnum per se expetendum, vt virtus, vel honestum: alterum propter aliud, quod vtile vocatur. Virtus nominatur bonum honestum, quasi meritò honorabile: Reliqua sunt vtilia, quæ ad corpus pertinent. Iam verò non omnes honesti partes sunt æquales, vt neq; vtilitatis. In honesto potissima esse debent, quæ pertinent ad Deum: vt pietas, ardor rerum supernarum, cognitio, & admiratio omnipotentis Dei, et Christi vnigenæ eius. Secundum locum obtinent, quæ pertinent ad homines, vt mutua charitas inter ipsos, iustitia, liberalitas, &c. Hinc quæ ad paucos peruenit, fortitudo: quæ non tam censetur aduersus hostes animositate quadam, & vehementia: quam aduersus dæmonum insultus, illecebrasq; vitiorum. Post hæc acumen ingenij, iudicium, eruditio: Quæ si vltrò contigerint, & illis moderatè vtaris in aliorum emolumentum, pulchræ sanè, & magnificæ res erunt. In vtilitate ea sunt præcipua, quæ ad tuendam vitam reperta sunt: vt agri, possessiones, &c. Ex quibus illa potissimum laudanda sunt, quæ multorum vtilitatem complectuntur: vt in templis ædificandis, in valetudinarijs locisq; ad curandos infirmos designatis, in hos

 pitalitate,

pitalitate, in captiuis redimendis, egestateq́; & inopia subleuanda: Quæ iam ad honestatem vergunt.

QVOD IN DANDO CONSILIO REquiritur opinio probitatis, & prudentiæ; & quibus rebus parentur. Cap. 51.

DVO sunt autem in consilio dando potissima, nempe, opinio probitatis, & prudẽtiæ. Vnde est illud Hecubæ ad Vlyssem: Authoritas persuadebit tua. Eadem enim ab alijs dicta, nõ idem efficiũt. Existimatio probitatis his rebus paratur, & confirmatur: in primis, si honestè, & sanctè viuas, & cõsulas: quia nihil perinde auertit homines à persuasione, quàm si videant dictis vitam dissentire. In probitatis locum succedit, vt amare illum credâris, cui cõsulis: Ac nescio, an hoc sit fortius, quàm credi virum bonũ. Sic totum consilium temperandum est, vt rem eius, cui consulis, non tuam, vel alterius spectare videaris. Prudentiam modicè nobis arrogabimus, & eam vsu, ac labore paratam potius ostendemus, quàm acumine ingenij. Atq; omnino arrogantiæ suspicio vitanda nobis est: quã nec in maximis quidem viris ferre possumus. Amorem licebit fusius ostentare, propterea quòd, vt est odio, inuidiæq́; contrarius; ita nulli potest vitio verti, quòd aliquem se amare profiteatur:

fiteatur: nisi fortè indignus ille sit, quẽ diligas: quod de eo, qui consulit, non debet à consulto ribus existimari: cùm omnes illius amici esse putentur: alioquin, non essent in consilium accersendi. Fides, quæ ex amore nascitur, ne inuidiæ pateat, partius erit proferenda: Atq; in hoc illius conscientia, cui fideles sumus, erit aduocanda. Et vt in causa iudiciali ex tẽpore existimari dicere, magnũ affert robur causæ: quoniam videmur tantum veritati fidere: Sic in suasoria plus habet fidei oratio meditata, vt monemur veteri prouerbio. Nox consilium. Quam ob rem ingenij laus facundiæ extemporalis non est hîc affectanda: Sed danda est opera, ne quid videaris dicere, quod probitatis opinionem, vel amicitiæ, vel prudentiæ imminuat.

APVD IGNOTVM, ET APVD PRINcipem quomodo sit agendum, & quòd omnibus dandum est consilium fidele, & qualis oratio illis est aptanda. Cap. 52.

APVD parum notum, circũspectius est agẽdum, ne qua species emineat temeritatis, arrogantiæ, & imprudentiæ. Apud maiorem, præsertim Principem, modestius, & reuerentius: sic tamen, vt absit assentatio. Nec ita illi cõsulendum, tanquam præcipias imperito, nisi

puer sit,eiusq; ætatem regas. Liberius interdũ dicere licebit, eum priuatæ rei affectu cæcutire,maximè in ijs, quæ ad Deum pertinent: in quibus profectò,omnes pares sumus, & æquales:vnde est illud d.Petri: obedire oportet Deo magis,quàm hominibus.Apud amicum, & familiarem apertius dicere licebit.Apud inferiorem humaniter, & benignè, non tanquam obiurgans, nisi res asperitatem exigat, grauesq; morbi vstiones.Deniq; fidele consilium omnibus est dandũ,etiam si inimici essent: Sic enim bonus eris vir, aut crederis talis. Illorum etiã, quibus consulis, ingenium perspiciendum est, & mores,eisq; aptanda oratio est,docto docta, ingenioso acuta,hebeti crassior,&apertior,humano liberior fiducia: bonis rectè vtilitas ostẽdenda,malis obliquè ingeranda, ne illis sua vitia exprobrare videaris: nisi personæ ratio maiorem dicendi libertatem præbeat, vt si filius sit,si discipulus,si subditus.Attemperanda oratio est eruditioni illius qui dicit: Nec eâdem authoritate,& grauitate dicet iuuenis, qua senex,ineruditus,qua doctus.

DE QVAESTIONIBVS AD QVAS Oratio dirigenda est, & de affectibus in suasione concitandis. Cap. 53.

SEQV-

SEQVVNTVR iam quæstiones, ad quas tota oratio dirigenda est, vnde, simpliciter quærimus, aut de duobus honestis, vtrum agẽdum? aut de pluribus, quod sumendum? & pro bono est minus malum: vt cùm inquirimus, ex malis, quod eligendum? Atq; inter species tũ vtilis, tum honesti, velut expediát ne magis hôc iucundum, quàm illud vtile? hoc facile, quàm illud difficile? hoc tutum, quàm illud honorificum? Quanquam inter honestum, & vtile inter Christianos nulla debet esse cõtrouersia. Olim populus Rom. sæpe vsurpabat illud: Vincat vtilitas: Sed ea vox à sapientissimis viris etiam illius gentis explosa, & reprehensa fuit. Nos verò dicemus, Vincat honestas, vincat religio, &c Exempla, & affectuum concitatio in consilio dando, sententiaq; dicenda, multum valent: Et illa quidem sumuntur à præterito, & proficiũt in futurum: vt tanquam in speculo vnusquisq; cernat, quos exitus actiones quæq; sortiantur: & ex similibus actionibus euentus similes expectet. Apud Romanos exempla Barbarorũ minimum valebant: parum Græcorum: plurimum suorum maiorum. Apud Christianos verò non Gentilium; Sed Christianorum, & maximè illorum debent esse præcipua, quos ad puritatem Euangelij rectè direxisse vitam arbitramur. Sunt inter exempla fabulæ, & apologi, qui

sæpe ad persuadendum magnam vim attulerunt: vt ille Demosthenis ad Athenienses de lupis, & pastoribus.

QVALES AFFECTVS IN SVASIONE concitandi sunt. Cap. 54.

AFFECTVS in suasione non sunt, vt in alijs generibus causarum concitandi: Nam id alienum est à grauitate, & probitate, quæ in consultationibus exiguntur. Vellicantur tamē aliquando, ex rebus ipsis per amplificationem: si ostendamus grauiores esse, atrociores, maiores, meliores, vtiliores, &c. quàm primò intuēti videantur; maximè, si accōmodentur his ad aliquem affectum, quo teneantur: vt si atrocitas, & indignitas iracundo proponantur: iniuria, vel contemptus Superbo, alienum bonum inuido, &c. Verum sancti consultoris erit hos affectus non accendere, sed placare. Non enim tanti persuasio est, vt ob eam velis malus vir haberi: Ergo contraria ratione tempestas illa cōquiescet. Et extenuatione res minor, leuior, minus vtilis, & iucunda fiet. Falli eum dices rerū similitudine, non eam esse magnanimitatem, sed crudelitatem, non gloriam, sed vanitatem, non honorem, sed inanem vmbram, escam pænitentiæ, non voluptatem: Nil faciendum temerè, nil concitatè: quàm multos callidi consilij

pæni-

pænituit. Non immerito Sapiens ille Plato dicebat celeris consilij comitem esse pænitentiam: Et iram, atq; amorem pessimos esse consultores. Vt nemo turbatam aquam bibit, nisi prius quiescendo, sinat eam clarescere: sic nec animo turbato vtendum est, donec conquiescat. Opponenda quoq; est perculso affectione alia affectio apud illum non minor: vt ambitione incitato, iactura rei familiaris: properanti ad vltionem, ad turpem voluptatem, ad furtũ, &c. cruciatus; pænitentia, &c.

Postquam autem mouimus affectus, atq; animum addidimus, & argumentis rem esse agendam, & suscipiendam, persuasimus: cunctantẽ, vel (vt est in veteri prouerbio) currentem incitabimus; idq; ostensa occasione maximi momenti in omnes res: non esse differendum in agendo, iuxta veterem sententiam: vbi consulueris, maturè facto opus est. In dehortatione nil præcipitatè agendum: Forsitã non deliberatũ satis: Athenienses, quòd celeritate vterentur; non diu tenuisse imperium: & apud Romanos esse elogium M. Fabij: vnus homo nobis cunctando restituit rem.

Tota autem oratio in hoc suasionis genere (vt ait Cicero in Part.) simplex erit, & non nimis eleganter exornata: non contentiosa, & subtilis, vt in iudicio: sed grauis, sententiosa, plena ponde-

ponderis,& authoritatis. Quanquã Fab. Quintilianus dixit, elocutionem huic generi pro rerum magnitudine tribuẽdam esse. De partibus orationis, quæ conueniant suasioni, dicemus lib. sequenti de dispositione. Atq; hæc dicta sufficiant de speciali inuentione deliberationis: Iam de inuentione speciali generis iudicialis pauca subiungamus: quoniam genus hoc forẽ se hac nostra tempestate in totum exoleuit.

DE SPECIALI INVENTIONE GENEris iudicialis. Cap. 55.

GENVS iudiciale de sententia Quintiliani, est omnium difficilium, & est illud, quo quẽ quam vel accusamus, vel defendimus: ad quod referuntur querela, expostulatio, exprobratio, cominatio, deprecatio, &c. Finis huius generis est æquitas, quæ est ius quoddã naturale, quod ratio præscribit: ac si lex deficit, eam supplet: si durior est eam mitigat, & corrigit.

Ad tradendam huius generis specialem inuentionem, animaduertendum est, in quolibet genere causæ status, seu constitutiones inueniri: Quæ etiam quæstiones appellantur: & illæ sunt vel infinitæ, & generales, & theses græcè dicuntur: quæ propriè ad Philosophos pertinent: vel sunt finitæ, & græcè hypotheses vocantur, id est, causæ, & controuersiæ, quæ propriè ad Rhetores

tores

tores ſpectant, qui ſpeciales cauſas tractant: eaſq; Cicero controuerſias nominauit, quia vinculis circunſtantiarum, perſonarum, rerum, temporum, & locorum cohibentur. Harum controuerſiarum, ſiue conſtitutionum, ſiue ſtatuum præcepta iudiciali generi magis, quàm cæteris generibus accõmodantur: quia in eo intentio, & depulſio, (ex quibus ſtatus naſcitur, ſiue quæſtio, ſiue controuerſia) magis elucefcunt. Sunt igitur in hoc genere iudicij ſtatus tres; ex quibus (vt ait Cicero in Part.) vnus aliquis capiendus eſt, ſi plures non queas, ad reſiſtendũ. Nam, aut ita conſiſtendum eſt, vt quod objicitur ab aduerſario, factũ neges: aut illud, quod factũ fateare, neges eã vim habere: atq; id eſſe, quod aduerſarius criminetur: aut ſi neq; de facto, neq; de facti appellatione ambigi poteſt, id propter quod accuſaris, neges tale eſſe, quale ille dicat: & rectum eſſe, quod feceris, concedẽdũm ve defendas. Ita primus ille ſtatus, & quaſi conflictio cum aduerſario coniectura quadam, ſecundus definitione, aut deſcriptione, & tertius æqui, & iuſti, & recti, & humani ad ignoſcẽdum, tractandus eſt diſputatione. Hæc ſunt verba Ciceronis in oratorijs partitionibus; ex quibus tres ſtatus perſpicuè colliguntur: nimirũ, an ſit? quid ſit? & quale ſit? In primo coniectura valet, in ſecundo definitio, & in tertio qualitas, quam

quam Cicero rationem vocat, quia in qualitate rationibus multis est agendum, petitis è rerum proprietate, & natura, iurè ne, an iniuria, &c.

DE STATV CONIECTVRAE. *Cap.* 56.

SIT igitur status coniecturæ, cùm verum cõiecturis quæritur: cuius tale sit exemplum: Duo viatores simul in tabernam diuerterunt: & post cænam discubuerunt: Caupo vnum eorum, quem grandem pecuniam secum portare deprehenderat, gladio alterius interfecit, & pecuniam abstulit, gladiumq; in vagina recondidit. Ille cuius gladio homo occisus erat, summo mane solus profectus est cum gladio cruẽtato. Non multò post caupo clamitat occisum hominem: & cum quibusdam diuersoribus eũ, qui paulo antè exierat, consequitur, & comprehendit: gladium è vagina educit, & cruentatũ inuenit: vnde peregrinus cædis accusatur. Hæc causa est coniecturalis: in qua factum à peregrino negatur, & multis coniecturis veritas est inuestiganda. Tota autem coniectura posita est in signis, & verisimilibus. Quæ sumuntur ex circunstantijs, quæ sunt, quis, quid, cur, vbi, quomodo, quando. Quis, personam denotat, quid rem, & quid cum re, & post rem euenerit. Quæ omnia ad locum adiunctorum referuntur. Exempla multa præbet oratio Ciceronis

ceronis pro Milone, in qua est persona Clodij seditiosi,& violenti hominis, Milonis inimici: locus pugnæ via Appia, ante fundum Clodij: tempus, quo Milo Consulatum petebat; Præturam Clodius: pugna ante vesperam commissa, facti consilium in Clodio, qui oderat Milonem,& Consulem nolebat fieri,sperabatq; commodum, & impunitatem. Coniuncta cum persona Clodij, quæ tum consilium, tum voluntatē arguebant: quia armatus, & expeditus fuit,& habuit comites electos, & expeditos:euentus ante rem: iter Milonis necessariū,cōcio Tribuni plebis eodē die habita, eaq; neglecta à Clodio:Senatus serò dimissus; natura negotij,vis, cædes, insidiæ, quæ sūt inimica legibus,periculosa,inuisa,& maximè offensa in candidatis. Hæc,& alia cōsiderantur in statu illo coniecturæ ad inuestigandum vter insidias fecerit? Clodiùs ne Miloni? an Milo Clodio? Plura qui volet de statu coniecturæ,videat Ciceronem in Partitionibus.

DE STATV DEFINITIO-*nis.* Cap. 57.

POST coniecturā sequitur definitio:nā, qui factū negare non potest,proximū est,vt nomē facti neget:quod definitione declarādū est. Materia huius status definitionis distribuitur à Quintilia-

Quintiliano in tres ſpecies: prima totum crimen negat, nec aliud nomen ſubijcit, etiam ſi rem fateatur: vt ſi obijciatur adulterium in lupanari: Secunda ita negat crimen, vt aliud nomen edat: vt ſi obijcienti ſacrilegium, dicatur eſſe furtum: vbi vtrunq; definiendum eſt: Tertia quærit in rebus ſpecie diuerſis, an hoc eodem nomine ſit appellandum? vt ſit ne amatorium venenum? cùm vtraq; res nomen ſuum habeat. Dantur autem in hoc ſtatu communia accuſatori, defenſoriq; præcepta: vter enim definiendo, deſcribendoq; verbo (de quo eſt controuerſia) magis ad ſenſum iudicis, & intellectum acceſſerit: & vter ad cōmunem verbi ſignificationem, & ad eam perceptionem, quam inchoatam, informatamq; habebunt in animis ij, qui audient, magis, & propius acceſſerit, is vincat neceſſe eſt. Neq; genus hoc ſtatus argumentando tractatur, ſed tanquam explicando, definiendoq; verbo, &c.

DE STATV QVALITATIS. *Cap.* 58

QVALITATIS ſtatus extremus eſt: nam cùm de facto, & de facti nomine conſtat, ſequitur, vt quale ſit, vocetur in dubium, eiuſq; vis, & natura quæratur. Eſt autem duplex qualitas, vna abſoluta, qua factum æquum eſſe oſtēditur, ſuaq; natura defenditur. Vt quidam filiū ſuum

ſuum abdicauit, quòd Philoſophiæ operam da ret:Filius ſe id reètè facere dicit. In hoc ſtatu verſatur Ciceronis oratio pro Corn.Balbo. Altera qualitas eſt aſſumptiua, qua argumentis extrinſecus aſſumptis, oſtenditur factũ æquũ eſſe,& honeſtum:vt Clodium inſidiatorem iurè occiſum à Milone fuiſſe.Et quoniam ſemper is, qui ſe defendit, non tantum reſiſtat aliquo horum ſtatuum, neceſſe eſt; ſed etiam rationẽ ſubijciat recuſationis ſuæ, Primus ille ſtatus coniecturæ depulſionem habet iniqui criminis negationem:vt ſi is qui ſe defendit,dicat. Non feci: ſecundus definitionis, quòd non ſit in re, quod ponitur ab aduerſario in verbo: vt ſi defenſor dicat:aliud feci. Tertius qualitatis ſtatus dicat,rectè feci.ſed quia non ſatis eſt eum, qui ſe defendit,crimen depellere, oportet ſuæ depulſionis rationẽ reddat,ſine qua (vt ait Quintilianus) defenſio ſtare nõ poſſet.Ratio in coniectura nulla eſt: nemo enim ſolet, aut debet, aut poteſt eius,quod non fecit, rationem reddere: In definitione verò ratio eſt, quòd non ſit in re, quod in verbo ab aduerſario ponitur: vt in priuata pecunia ſublata ex loco ſacro, & aduerſarius obijciat ſacrilegium. At in qualitate ratio datur,quod æquitas id velit:vt ſi Oreſtes rectè occiſæ matris rationem afferat, quia patrem ipſius Oreſtis interfecit. Vniquiq; au-

H tem

tem rationi opponendum est ab aduersario id, quod si non esset, prorsus causa non posset esse: Accusatoris ratio vocatur firmamentum, & cótinens. Ex ratione vero defensoris, & accusatoris firmamento, conficitur angusta quædam disceptatio, quæ appellatur iudicatio, & græcè κρινόμενον: quoniam iudicij summa est, & totius disceptationis. In qualitate duplex quæstio est: vna diffusa, qualis est primus ille status, qui nascitur ex intentione, & depulsione: altera est angusta, qualis est illa, quæ ex ratione defensoris, et firmaméto accusatoris cóficitur: vt v.g. Intétio est, Interfecisti matrem tuam Orestes: depulsio Orestis est, Iuré interfeci. Hæc est lata quæstio. Ratio Orestis est: Quia illa interfecit patrem meum. Firmamentum, & contraria ratio accusatoris est. Non ideo abs te filio matré indemnatam necari oportuit. Ex his liquet crinomenon, & iudicatio. Iuré ne Orestes in patris sui vindictam matrem suã occiderit? Huc omnia argumenta referenda sunt. In coniectura, quia factum negatur, nec est ratio defensoris, nec accusatoris firmamentum: Sed ex inténtione, & depulsione nascitur quæstio, & iudicatio simul, &c.

QVOD IN VNA, EADEMQ; CAVsa possunt esse plures status. Cap. 59.

STA-

STATVVM non est vna ratio: nam est quidam primus status, & quasi vnum caput, & fons, ad quem alij minores referuntur. Quare, ne mens aberret, spectare debet postremam quæstionem, qua sublata, nulla amplius dubitatio manet. v.g. in oratione Ciceronis pro Milone variæ sunt quæstiones, & status: de quorum singulis Cicero peculiariter disputat. Sed omnes illæ quæstiones vnum habent scopum vltimum, an Milo teneatur lege Cornelia de Sicarijs? Tum si quis quærat, an quia princeps suos negligit, idcirco habendus sit pro malo? & si malus, an ei sit obtemperandum? & si non obtẽperandum, an ferendus sit ad tempus? an continuò expellendus? Hoc iam nihil est vlterius. Sũt aliqui status tanquam amplior, & strictior, vt vnus includat alterum: vt vniuersalis, & particularis quæstio: Ducendæ ne sint vxores Philosophis? Socrati? an prórsus vnicuiq; Philosopho? Alij status sunt inter se distincti: vt sit ne Christiani nocere? an benefacere? non odisse an amare? Sunt etiam multi status inter se relati: vt in petitione hæreditatis, & in diuinatione de accusatore deligendo: Nam si alij non consequãtur hæreditatem, aut non sint accusaturi: sit necessariò, vt hic cõsequatur, vel accuset. Est quoq; geminus status: vt submouisti sacras pecunias: non submoui, & si submoui, non protinus

ſacrilegium feci:additur tertia pars,nec furtũ: additur quarta,ac nec iniuſtè, additur, quinta iuſtiſsimè,& Reip.vtiliſsimè. In tuendum ergo eſt diligenter,qua de re ſit diſſenſio ne aberremus,& de eo quod opus non ſit, dicamus multa,deq; neceſſarijs, aut parum , aut nihil. Atq; hæc hactenus de inuentione ſpeciali,deq; ſtatibus.De partibus verò orationis vniuſcuiuſq; ſtatus coniecturæ,definitionis,& qualitatis, ſequenti libro dicemus in collocatione, & diſpoſitione partium orationis.

FINIS LIBRI PRIMI, ſequitur ſecundus.

DE ARTE RHETORICA liber Secundus.

DE DISPOSITIONE, SECVNDA *Rhetoricæ parte.* Cap. 1.

INVENTIONI proxima est dispositio, non minus Rhetori necessaria, quàm inuentio. Et ea est apta rerum, & argumentorũ collocatio: Docet enim dispositio quid quibus locis conueniat, & qua ratione collocandum sit. Nec solum argumenta collocanda sunt: sed etiam partes argumentationis, & orationis. Dispositionem, κρίσιν καὶ κριτικήν, id est, iudicium, & iudiciariam veteres Dialectici ex finevocauerũt: quia certis dispositionis regulis doceret de rebus iudicare: (vt dixit Arist. 8. Top. Igitur, quẽ admodum Grãmatica syntaxis dictionum cõpositionem docet: Sic dispositio artificiosa rerũ inuentarum collocationem tradit. Et quoniam hæc pars iudicium appellatur, primum, & præcipuum officium eius est, de sententia Ciceronis in Part. quærere, & scrutari ex omnibus argumentis, & adhibere iudicium, vt leuia

reijciat,cómunia prætermittat,& non necessaria. Quare,nemo debet locis, seu argumentis eo ordine vti,quo sunt à nobis diuisa, atq; digesta in inuétione: Sed vt elementariæ literæ, certo aliquo ordine,& numero tradūtur: postea verò illarum vario situ singula vocabulorū constāt: nec omnia,ac vix vllum eo literarum ordine scribimus, quo literas didicimus: Sic argumenta,quò facilius renererētur, eo sunt ordine doctrinæ dispofita. Attamen ars,atq; prudentia vnumquodq; collocabit,vbi maximam vim sit habiturū. Atq; , vt nec omnibus literis in singulis nominibus vtimur: Sic nec omnibus argumentis in singulis orationibus vtemur: imo rarò incidet causa, ad quam omnia argumentorum genera sint aduocanda: Ac nescio nunquid tale vsu euenire possit. De vi autem, & pondere argumentorum ita judicādum est: vt argumenta,quæ ducuntur ex causis, & definitione,quæ ex causis constat,omnium firmissima sint: Proxima,quæ ex effectis: Tertio loco succedant res subiectæ,& adiunctæ: aut definitiones,&diuisiones ex ijs ductæ. Quarto loco dissentanea, quanquam hæc maiorem vim habent aliquándo ad persuadendum,& cōuincendum repugnātem,&peruicacem Sophistā. Quintus locus conceditur comparationibus: sextus nomini,seu etymologiæ, & vltimus auctorita

ctoritatibus. Ex hac obseruatione colligitur, posito argumento, quanti sit ponderis, & quo loco disponendum sit, & collocandum.

DE PARTIBVS DISPOSITIONIS. *Cap. 2.*

ET quoniam rerum, & argumentorum dispositio est propria Dialecticæ, ab ea præcepta debemus mutuari. Sunt igitur dispositionis partes tres, enuntiatio, syllogismus, & methodus. Enuntiatio est dispositio, qua aliquid de aliquo enuntiatur: vt ignis vrit, ignis est calidus: ignis non est aqua. Prima hæc dispositionis species vocatur à Cicerone Tuscul. 1. enuntiatum, pronuntiatum, & axioma. Propositio ab Arist. Quæ vel ait, vel negat. In ea sunt duæ partes, prima vocatur antecedens, & altera cõsequens: vt in hac, ignis vrit: ignis pars est antecedens, & vrit consequens: ex quibus enuntiatio constituitur: quarũ altera est causa, vel effectus, vel subiectum, vel adiunctum, vel è cæteris argumentis aliquod vnum de suo relato enuntiatum: vt in superioribus exemplis videri potest: in primo enim (ignis vrit) sunt causa, & effectus: in secundo (ignis est calidus) subiectum, & adiunctũ, in tertio (ignis nõ est aqua) oppositum cum opposito. Enuntiatio vel est simplex, vel composita: Simplex est, quæ sim-

plicem ſententiam continet: cuius partes termini vocantur: & antecedēs dicitur ſubiectū, & conſequens attributum. Hîc, quia ſententia vno verbo comprehenditur, vinculum enuntiationis perpetuò verbum eſt; ex eoq; affirmato, erit affirmatio, vt è negato, negatio. Enūtiatio compoſita eſt, quæ plures habet ſententias cōiunctas: cuius vinculum non iam verbū eſt, ſed coniunctio: ideoq; ex ea affirmata, ſumetur affirmatio, vt è negata, negatio. Affirmatio eſt: homo eſt ſapiens, & probus: & negatio, homo non eſt ſapiens, & probus. Harum enūtiationū ſimplicis, & coniunctæ plures diuiſiones Dialecticis relinquo: noſtro enim inſtituto ſufficiūt, illæ, quas hactenus commemoraui.

DE SYLLOGISMO, VEL *argumentatione. Cap.* 3.

EX enuntiationibus conficitur ſyllogiſmus, qui & ratiocinatio, & argumentatio dicitur. Et ſyllogiſmus quidem eſt conſtans argumēti collocatio cum tota quæſtione, vel cum ſingulis partibus quæſtionis ad veritatem indicandam. Vocatur argumētatio, quia ſit argumēti explicatio: & ratiocinatio ſumpta metaphora à menſarijs: vt enim illi addendo, & deducēdo vident, quæ reliqua ſit ſumma: ſic in ſyllogiſmo ſumma veritatis colligitur: vt ſi Stoicum illud

quæ

quæratur: An omne iustum sit honestum? ad quam quæstionem cõcludendam ex adiunctis sumi potest argumentum, nempe (laudabile) idq; si disponatur cum parte quæstionis consequente, videlicet (honestum) conficiet hanc propositionem: Omne laudabile est honestũ: Deinde assumptum idem argumentum è propositione cum parte quæstionis antecedente (iustum) hanc efficiet assumptionem, omne iustum est laudabile: vnde quæstio necessariò cõcludetur. Igitur, omne iustum est honestũ. Sic Cicero lib. 4. de Finibus bonorum, & malorum consectarium hoc conclusit.

DE PARTIBVS, SEV SPECIEBVS *argumentationis, Cap. 4.*

PARTES argumentationis aliæ sunt maiores, aliæ minores. Maiores sunt enuntiationes: vt omnis homo est animal: minores sunt singulæ voces: vt homo, animal. Maiores partes si duæ sunt vocatur argumentatio enthimema: quarum prima dicitur antecedens, extrema cõsequens: vt insidiatorem licet occidere: Ergo Miloni licuit Clodium occidere. Antecedens est, omnem insidiatorem licet occidere: reliqua pars est consequens. Si verò sunt tres partes in argumentatione: prima vocatur propositio, secunda assumptio, & tertia conclusio,

ſiue complexio : eritq; ratiocinatio tripertita : vt in ſuperiori ſtoico ſyllogiſmo. Omne laudabile eſt honeſtum : & omne iuſtum eſt laudabile : igitur omne iuſtum eſt honeſtum. Rhetores, & Oratores, quia dialecticis legibus aſtringi nolunt, ſæpe quinq; partitam ratiocinationē faciunt : Sic Cicero cōcludit Parad. 5. nullum improbum, & ſtultum eſſe liberum, dicens. Quiſquis liber eſt, ei viuere licet, vt vult. Huic propoſitioni ſubiungitur pro ſecunda propoſitione ratio : Cùm nihil aliud ſit libertas, niſi poteſtas viuendi, vt velis. Iam ſequitur aſſumptio : Nullus ſtultus viuit, vt vult : cuius ratio ponitur pro quarta propoſitione : quia is viuit, vt vult, qui recta ſequitur, qui gaudet officio, &c. Ex quibus omnibus efficitur concluſio, ſiue complexio. Nemo igitur ſtultus, & improbus liber eſt. Sic ſolent Oratores ſuas argumentationes concludere. At Dialectici plures, quàm tres propoſitiones in ſuis argumentationibus nolunt admittere. Poteſt autem fieri, vt tres propoſitiones in vnam redigantur, & tunc vocatur argumentatio epichirema : vt mater occidiſſet filium? q. d. Nulla mater occidiſſet filium : Medea mater erat : non igitur occidit filium. Atq; hæc de enuntiationibus, propoſitionibus, & ſyllogiſmis.

DE METHODO TERTIA *dispositionis parte.* Cap. 5.

DEINCEPS de methodo (quæ est dispositionis tertia pars) disputemus. Atq; ea est dispositio, per quam multæ res suo quæq; loco,& ordine pro natura, & conditione suæ perspicuitatis, & doctrinæ, collocantur. Differunt autem inter se argumentatio,& methodus,quia in argumentatione, vnum collocatur argumentum, in methodo verò non vnum,sed multa simul collocantur: & rursum. Argumentatio iudicium de re proposita facit: quam veram, aut falsam esse statuit: Methodus verò tale iudicium non facit: Sed rem iam æstimatam,& indubitatam facilius explicat, & docet: Atq; ideo appellatur methodus, quod nomen propriè viam compendiariam significat,& per metaphoram facilem docendi viam, & rationem. Rhetores hanc tertiam speciem dispositionem vocant, nomine quidem generali: Quanuis in suis præceptionibus separatim de methodo præcipiant, omisis enuntiatione, & argumentatione.

Est auté methodus duplex,vna doctrinæ,prudétiæ altera. Sic Aristoteles,Cicero,& Quintil. instituunt.Methodus doctrinæ est, qua euiden tius,

tius,& absolutè notius præponitur. Quod Arist. 1. Analit. vocat modò natura notius, modò natura prius: quia, quod natura notius est, ordine, & dispositione doctrinæ debet præcedere: vt causæ sunt effectis suis. Hinc Philosophi præcipiunt, vt à causis ad effecta, & ab vniuersalibus ad specialia omnem legitimam, & artificiosam disputationem, & tractationem prosequamur. Sunt enim vniuersalia symbola causarum: vt specialia effectorum. Et quanuis in prima rerũ disquisitione species antè cognoscatur, quàm genus (cum per sensus sit prima perceptio) tamen, cùm vtrunq; cognoueris, doctrinamq; tradere volueris: genus ipsum natura sua prius erit, & clarius: ideoq; in artis dispositione speciem præcedat, necesse est.

METHODVS DOCTRINAE IN *tradendis artibus est vnica. Cap. 6.*

METHODVS doctrinæ vnica est, & singularis, in artibus benè tradẽdis: quia in hac vnica proceditur ab antecedentibus omnino clarioribus ad obscura, & incognita declarandum, & illustrandum. Sic Hippocrates, Plato, & Aristoteles hanc solam methodum in artium institutione probauerũt. Et vt res familiarius percipiatur, vtamur exemplo familiari. Sint omnes definitiones, distributiones, & regulæ Gram-

Grāmaticæ repertæ,& vnaquæq; verè iudicatæ: atq; hæc omnia documenta inscripta tabellis varijs. Quæ omnes præceptiones sint vnà confusæ,& cōturbatæ in vrna quadam. Quæro hîc: quæ Dialecticæ pars me doceat has regulas, & præceptiones sic confusas, in ordinem redigere,& disponere? Primò, locis inuentionis non est opus, cùm sint omnes repertæ. Sola methodus doctrinæ superest. Dialecticus igitur methodi artificiosæ lumine in hac vrna primò Grāmaticæ definitionem seliget (id enim est generalissimum) & primò loco statuet: Tum in eadem vrna diuisionem Grāmaticæ requiret, & secundo loco disponet: deinde in eadem vrna definitionem primæ partis separabit, & tertio loco,& gradu antecedentibus adiunget. Atq; ita definiendo, & distribuendo ad specialissima exempla descendet,& loco extremo collocabit. Idem in secunda parte faciet, &c.

Neq; hæc methodus solùm in artibus tradēdis adhibetur: sed etiam in omnibus rebus, quas facilè & perspicuè docere volumus. Ideóq; Oratorum, & Poëtarum est communis. Sic Oratores, cùm in exordio, rē de qua agunt, summatim proponunt, in narratione definiūt, in confirmatione partes exequuntur, & in peroratione concludunt, artificiosum illum, & dialecticum ordinem sequuntur. Sic etiam

Poëtæ

Poëtæ, cùm materiam sui operis proponunt, deinceps in certas partes distribuunt, easq; ordine prosequuntur, hanc Dialecticam methodum exercent.

DE PARTIBVS ORATIONIS, ET *numero, ac de exordio.* Cap. 7.

IGITVR quoniam methodus doctrinæ postulat, vt partes orationis ordine suo disponantur: Primò dicendum esse videtur, eas variè à grauissimis autoribus numerari. Nam Cicero in Partit. quatuor partes orationis tantum numerat, nimirum, principium, narrationem, confirmationem, & perorationem. Quintilianus quinq; statuit: Alij graues Rhetores plures: Sed nos clarioris doctrinæ gratia sex partes orationis constituamus, nempe: exordium, narrationem, propositionem, partitionē, confirmationē, siue causam, & perorationē.

Exordium est principium orationis, quo auditorum animos præparamus ad audiendum, & conciliamus. Quamobrem in exordiendo sedatos nos, & graues esse oportet. Pedetentim nobis procedendum est: non maturādum, sine cunctatione loquendum: Hæc enim omnia Oratorem auditoribus maximè commendant. Nimium autem splendoris, & concinnitatis abesse debet ab exordio: quia hinc suspi-

cio

cio quædam artificiosæ diligentiæ nascitur, quæ plurimum orationi fidei, & auctoritatis Oratori adimit. Est verò maximum in exordiendo vitium (quod vocant separatum) cùm non ex re ipsa, quæ disputatur, & tractatur, principium ducitur: nec est tanquam mēbrum aliquod annexum orationi: Sed remotum, & quasi conglutinatum: vt si acturus de prudentia, à fortitudine ordiaris. Alterum exordij vitium longum dicitur, quod pluribus verbis vltrà, quàm res exigit, producitur. Vulgare exordium est, quod ad plures causas potest accommodari: Quod minimum est vitium, & in quod multi quotidie labuntur. Nam homines nullius ingenij, tanquam bestiæ, sensu ducuntur animali: Nec quid possint dicere, sed quid ab alijs dicatur, vt ad eorum orationes se accommodent, considerant. Vnde fit, vt non de sua, sed de vulgi sententia loquantur.

EXORDIA SVNT LIBERA, IN *omni causa, & qualia in suasione, & in iudicio.* Cap. 8.

PORRO exordia in oratione, quæ laudes continet, siue personæ, siue rei alicuius, maximè sunt libera (vt ait Arist. Rhet. ad Alexādrū,

c.31.) tam apud Poëtas, quàm apud Oratores: nam ab historia quadam, & à similitudine, & à fabula, &c. Deniq; pro cuiusq; arbitrio licebit exordiri, modò sit ad rem, de qua dicitur, accõmodatum: tam in laude, quàm in suasione, & in iudicio. Exordia tamen in sententia dicenda (ait Cic. in Part.) breuia esse debent: quod in causis priuatis est intelligendum: nam in publicis, quales fiebant in Senatu, non minus debẽt esse elaborata, quàm in causis forensibus. Summa autem exordij in suadendo hæc sit de sententia Ciceronis: Proponat Orator, qua mente dicat, quid velit, quibus de rebus sit dicturus, & exhortetur ad se breuiter dicentem, audiendum: idem de exordijs in causis iudicialibus dicendum est. Exordia tamen in coniectura ab accusatore ponentur suspiciosa quidem ad acerbitatem, denuntiabiturq; insidiarum cõmune periculum, quod ad omnes sese extendat. Quale est principium Ciceronis in verrem Act.2. dicentis. Neminem vestrum ignorare arbitror, &c. Excitabunturq; animi, vt attendant: contrà defensor captabit beneuolentiam, & proferet querelam impositi sibi criminis, collectarumq; suspicionum, & accusatoris insidias: itemq; commune periculum: cùm scilicet, conqueritur de conditione hominum innocentium, ac de vita, quòd sit exposita calumnijs

lumnijs hominum criminoſorum: animoſq; ad miſericordiam alliciet, ac modicè iudicum beneuolentiam conciliabit. In ſtatu definitionis, & qualitatis eadem exordiorū ratio teneri poteſt: Quanquam Cicero lib. 2. de Oratore ait, Oratores id curaſſe, vt in cauſis iudicialibus ex ipſis cauſæ viſceribus exordia ſumerent.

DE COMMVNI EXORDIORVM *præcepto, & quòd per totam orationem miſceri poſſunt.* Cap. 9.

SIT tamen hoc cōmune præceptum de exordijs in quolibet genere dicendi: vt exordiū, quod in oratione primum locum occupat, vltimò ſit cogitandum: quia ex ipſis cauſæ viſceribus naſci debet: vt rami prius cernūtur, quā radix: qui tamen naſcuntur ex arboris radice. Nec verò partes iſtæ locis diſtant, ſed functionibus, & effectis: Eſt enim exordiū quidquid ante rem ad attentionem, & fidem dicitur. Quare non rarò in diſcurſu proœmiamur, ſeu exordimur, & argumentamur in initio: & inſinuationis non ſolum in principio eſt vſus: ſed per totam orationem: cùm quid ſumus dicturi, vel infenſum, vel abſonum, aut parum veriſimile. Sunt tamen mollitiones quædam rei duræ, aut infeſtæ exordijs nō diſsimiles, quæ poſt rem ſubijciūtur: quas mitigationes appellare

possimus: vt cùm dicta excusamus: etsi quam fecimus plagam, fomentis lenimus.

Sit hoc etiam in præceptis, vt si quid obest orationi nostræ, id non tantum sit ab orationis initio amouendum: sed etiã in quacunq; parte orationis obsistat. Quam ob rem in causis iudicialibus tot exordia videmus in medijs orationibus, & in carminibus in medio opere tot inuocationes, quæ Poëtis exordiorũ vice sunt: nam attentionem, & beneuolentiam pariunt. Imo in tota oratione (si causa occasionem dederit) exordiola quædam solent admisceri ad fauorem renouandum, docilitatem, & attẽtionem: Quod transitionibus fieri potest cõmodissimè: vt si dicas: magna sunt hæc, sed leuia præ his, quæ nunc dicemus: Nunc ad ipsum caput accedo: proinde quæso, vt hæc attentis animis audiatis, &c. Hactenus de exordijs: de narratione iam dicamus.

DE NARRATIONE, ET QVOD *multiplex sit.* Cap. 10.

NARRATIO est rei ipsius, siue rerum ad causam pertinentium expositio. Ea est exordio proxima: Sunt autem multiplices narrationes: quæ ex fine cẽsentur, vt aliæ omnes res: quia narrationẽ facimus, vel vt aliquid doceamus, & explicemus: vel vt persuadeamus: vel

vt

vt detineamus,&c. Miscētur quidem hæc : Sed in meta oculus figendus est,tanquam in scopo. Narratio , quæ ad docendum, & explicandum paratur,vera esse debet : & hanc vocamus historiā , quæ est rei gestæ explicatio. Si id quod narramus , persuadere volumus , narratio sit probabilis,necesse est : Sin aliud per eam intendimus, aptè est confingenda, quales sunt apologi. At si narratio ad delectandos,atq; occupādos animos adhibeatur, ea est licentiosa. Hinc fit,latissimè patere narrationē : nam & res , & tempora, & loci , & personæ narrari possunt. Cuius generis extant apud Historicos exēpla multa:narrant enim vnde seditio,vnde bellum oriatur. Iul, Cæsar cōmentariorum narrationē de bello ciuili à causis duxit,id est,à rebus,quibus impulsus fuit ad bellum suscipiendum. Vergilius à causis,quibus AEneas inductus fuit ad tam immensos labores suscipiendos, &c. Narratio tēporum,& locorum est,qua tempora,& loca describūtur,vbi res,quæ posita est in quæstione,a&ta est. In deliberatione de bello suscipiendo,loci narratio est vtilis:ex qua argumenta ad suadendum,vel dissuadendum desumuntur. Personæ narratio est eiusmodi,vt in ea simul cum rebus ipsis personæ sermones, & animus perspici posint : vt si quempiam perfidiæ accuses,poteris eius vitā, moresq; describere.

Ita vt ostendas eum mobili esse animo, nouis rebus delectari, & nunquam in eodem loco cō sistere. Idem facies defendendo, si laudes eum à contrarijs rebus, &c.

QVOD IN NARRATIONE RES summatim est narranda. Cap. II.

NARRATIO illa vitiosa esse censetur, quæ rem ab vltimo principio repetit: vt si acturus de bello Troiano, narrationem repetas à concubitu Iouis cum Læda, ex qua nata est Helena belli Troiani funesta causa: multò melius erit à raptu Paridis. Nec longius progrediêris, vt addas, quæ Græci post excidium Troiæ fecerint: quia in narratione, res summatim est narranda. Extat apud Cæsarem lib. 5. cōmentariorum optimæ narrationis exemplum. Erant (inquit) in ea legione fortissimi viri Centuriones qui iam primis ordinibus propinquarēt. T. Pulfio, & L. Varenus. Hi perpetuas controuersias inter se habebant, vter alteri anteferretur Omnibus annis de loco summis simultatibus contendebant. Ex his Pulfio, cùm acerrimè ad munitiones pugnaretur: Quid dubitas (inquit) Varene, aut quem locum probādæ virtutis expectas? Hic dies de nostris controuersijs iudicabit. Hæc dum dixisset: procedit extra munitiones, & quæ pars hostium confertissima visa

est

est, in eam erumpit. Nec Varenus tum bello se se continet: Sed omnium veritus existimationẽ, subsequitur mediocri spacio relicto. Pulsio pilum in hostes mittit, atq; vnum ex multitudine procurrẽtem, traijcit: Quo percusso, & exanimato, hunc scutis protegunt hostes: & in illũ vniuersi tela conijciunt, neq; dant regrediendi facultatem. Transfigitur scutum Pulsioni, & verutum in balteo defigitur. Auertit hic casus vaginam, & gladium educere conantis, dextrã moratur manum: impeditum hostes circumsistunt. Succurrit inimicus ille Varenus, & laboranti subuenit. Ad hunc confestim à Pulsione omnis multitudo se conuertit: illum veruto transfixum arbitrantur. Varenus gladio cominus rẽ gerit, atq; vno interfecto, reliquos palã propellit. Dum cupidius instat, in locum inferiorem deiectus, concidit. Huic rursus circumuento, fert subsidium Pulsio, atq; ambo incolumes compluribus interfectis, summa cum laude se se intra munitiones recipiunt. Sic fortuna in contentione, & certamine vtrunq; versauit, vt alter alteri inimicus auxilio, salutiq; esset, neq; iudicari posset, vter vtri virtute anteferendus esset. Hæc est Cæsaris narratio: in qua nescias, vtrum mirêre magis Centurionum fortissimum, & memorabile facinus, an historici in narrando singulare artificium: Qui & ita breuiter

uiter,ſtrictimq; factū narrauit, vt nihil illo breuius,& ita detractis ornamentis, exornauit: vt nihil ornatius dici poſſe videatur. Hinc licet colligere, eſſe narrationis genus quoddā breue, & ſuccinctum verbis: Sed rebus longum: quale in hiſtoria debet eſſe: in qua breuitas eſt dulcis, & veritas laudatur. Sed iam de probabili narratione pauca ſubiungamus.

DE NARRATIONE *probabili. Cap.* 12.

PRIMVM autem omnium, ſi volumus probabiliter narrare, inquiremus, quid auditori ſit probabile, ratio? an exemplum? an auctoritas, an experimētum per ſenſum aliquem ſumptum? Rudes homines miracula naturæ derident: hebetes rationem non aſſequuntur, mouentur exemplis, parent auctoritati. Ideoq; nō eodem modo in foro narrandum eſt Ciceroni: quo Ariſtoteli in ſchola. Eſt progreſſus quidā naturalis, vt poſteriora ex prioribus naſci videantur: vel ordine, & ſerie cauſarum: vt filius à patre: vel loci, aut temporis: vt dies poſterior ex priore. Atq; hic ductus maximā habet veriſimilitudinem: vt ſi dicas. Aliquē in ædes intraſſe, hoſpitem ſalutaſſe, humaniter exceptum, inuitatum recuſaſſe primum, hinc ſæpius rogatum, acquieuiſſe, & diſcubuiſſe. Admiſtio

cauſa-

causarum breuis probabilem facit narrationẽ: vt, cùm essent hilares potatum largius est: hinc saltatum: & calfactis animis ex leui occasione ventum est ad rixam, &c.

DE NARRATIONE DELECTAbili, & fabulosa. Cap. 13.

NARRATIO, quæ ad delectandum adhibetur, est illa conficta: qualis est apologorũ, qui exempla sunt conficta in vsum vitæ: & ad suadendam virtutem, vel dissuadendum vitiũ, aut aliquid agendum, vel non agẽdum, reperti sunt: alioquin inutiles, & vani essent: non enim propter se narrantur, sed propter exemplum, quod sumamus. In narratione debet esse festiuitas, & facilitas, tum simplicitas in verbis, cùm hos apologos narramus. In quibus nil molestũ, nec affectatum debet esse, sed (vt ait Quintilianus) purus sermo sit. Quanuis loquentium seruari debet differentia: vt accuratius loquatur vulpes, quàm asinus, & illustrius leo, quã formica. Et quæcũq; dicentur, in scopum, quò pertinet fabella, dirigantur. Id προμύθιον dicitur, id est, præfabulatio (si præponatur) si verò postponatur ἐπιμύθιον, id est, affabulatio. Quanquã aliquando animo cuiusq; coniectandum relinquitur: quod est maioris grauitatis: vt fecerunt Menenius Agrippa in apologo de mem-

bris corporis in ventrem ociosum coniurantibus. Et Demosthenes de luporum, & pastorum traditis canibus; cùm rex Philippus Oratores posceret. Aliæ narrationes sunt, quæ ad fabulas Poëtarum spectant: quarum aliæ quippiam naturale continent, aliæ morale. Vtræq; harũ conseruandæ sunt, atq; inhonestæ reijciendæ. Poëma (vt ait Plutarchus) est pictura loquens: vilis, & contemnẽda pictura est, quæ leues habet res: & quæ non pascit animum: vt musca aliqua: ideoq; adhortetur carmen, & inflammet ad virtutem, & à vitio deterreat.

QVALIS NARRATIO SIT IN *laude, & suasione. Cap. 14.*

SED iam quales narrationes sint in quolibet genere causæ, videamus. Et primò, narratio in laude sit continua, sed habeat in se amplificationem, & confirmationem admixtam: Non enim in hoc genere est illa narratio, quæ est in iudicio fundamentum, & quasi sedes confirmationis: Sed narramus, & narrando amplificamus, et si quæ dubia occurrunt, confirmamus, vel confutamus. Ratio, quare narratio in laudatione sit perpetua quædam factorũ, dictorũq; narratio sine vllis argumentationibus fidei, ea est, quia non dubia in laudando firmantur: sed certa, aut quæ posita sunt pro certis, augentur.

De

De narratione verò in suasione dicenda sunt paucissima: vel quia narrationes in genus hoc nõ cadunt: cùm narratio sit præteritarũ rerũ, suasio verò futurarũ: vel quia res ipsa, de qua agitur in suasione, nota ei est, qui consilium petit. Quanquam Cicero in oratione pro lege Manil. narrauit: Sed dilucidè, & quàm breuissimè, eorum fortasse causa, qui tunc primũ illi negotio interfuerunt. Quòd si aliqua narratio in deliberationem cadat, ea erit, quæ rei ordinẽ contineat (hoc est) quæ doceat quid factum sit, quid fiat, & quid futurum sit: vt Cic. pro Lege Manil. fecit. Et quoniam verissima est narratio in suasione, eius loco ponenda est propositio, quæ suasionis summam complectatur.

DE VIRTVTIBVS NARRATIONIS *ex Cicerone. Cap. 15.*

M. Cicero loquẽs in Topic. de narrationibus, dicit, eas debere esse eiusmodi, vt sint planæ, vt breues, vt euidentes, vt credibiles, vt moderatæ, vt cum dignitate: quæ, quanquam in tota oratione esse debent, narrationis tamen, maximè in genere iudicij sunt propriæ. Nam cùm de sententia Ciceronis, narratio sit rerum explicatio, & quædam quasi sedes, & fundamẽtum constituendæ fidei: ea sunt in ea seruãda, quæ etiam in reliquis dicendi partibus, quæ

partim ſunt neceſſaria, partim aſſumpta ad ornandum. Itaq; in iudicio narratio debet eſſe dilucida, probabilis, breuis, illuſtris, & ſuauis. Dilucida erit, ſi loci, ſi perſonæ, ſi tempora, & res non confundãtur: neq; rerum geſtarum ordo perturbetur. Probabilis erit, ſi perſonis, ſi locis, ſi temporibus conſentiat, id eſt, ſi perſonas conſtituat his, quæ facta eſſe credi volumus: vt cædem à ſiccario factam. Si etiam loca, & tempora conuenientia: vt ſi quis Aiacem ab Vlyſſe narret occiſum: quia cum eo inimicitias gerebat, & viſus in ea ſylua fuit, vbi Aiax ſibi ipſi mortem intulerat. Si etiam teſtata dici videbũtur: vt Demoſthenes fecit, qui in narrãdo pollicetur, ſe teſtes producturum: ſi cum hominũ opinione, auctoritate, lege, cum more, cum religione coniuncta: Si integritas narrantis ſignificabitur: Si hiſtoriarum cognitio: Si memoria, ſi orationis veritas, & vitæ fides, &c. Hæc omnia tribuit Cic. in Part. narrationi probabili. Narratio breuis erit, ſi ſemel vnamquanq; rem dixeris, indeq; cœperis narrare, vnde neceſſe erit. Quanquam (vt ait Quintilianus) in cauſis magnificentioribus narrandum eſt adhibita omni venuſtate, & exornatione. Narratio illuſtris omnem ornatum admittit, & ita rẽ ante oculos proponit, vt cerni potius, quàm narrari videatur. Deniq; narratio ſuauis erit, ſi

res

res nouas contineat, & admirabiles, expectationes, & exitus inopinatos, & interpositos affectus, & colloquia personarum, dolores, iracũdias, metus, lætitias, cupiditates. Quæ omnia præstitit Cicero in clegantissima oratione in Verrem. Actione. 3. Et quoniam in iudicio sunt accusator, & defensor, non eadem erit collocatio accusatoris, & defensoris: nam accusator rerum ordinem prosequitur: & singula argumenta, quasi hasta in manu collocata, vehemẽter proponit. At defensor, narrationes, quæ lædunt, amputabit, aut relinquet, si totæ sunt molestæ, rerumq́; ipsarum euentus, & casus narrabit. Deniq; in narrando illud est maximè obseruandum, vt quidquid primum gestum est, primum narretur: quia temporis ordo nõ seruatus, cognitionem perturbat: & alioquin, si seruetur, res sequentes per ea quæ gesta sunt, melius intelliguntur.

DE PROPOSITIONE ORATIONIS *tertia parte. Cap. 16.*

POST narrationem sequitur propositio, sic dicta, quòd in ea quæstio, de qua agitur, breuiter proponatur. Ea valet plurimum ad conciliandum auditoris animum: quia scit quid agatur, & in ea tanquam requiescit. Animus enim auditoris dum tot, tantisq; verbis exordij, & narra-

narrationis captatur,nescit,quò se vertat, dolos timet,sæpe sibi cauet,saltem incertus rerũ quasi in tenebris versatur. Nam tametsi in narratione negotium degustauerit, nullum tamen (vt ita dicã) sensum rei (quæ futura est) habet. In exordio enim nouit, nos iustè facere, aut rẽ iustam moliri: in narratione fuisse quosdam homines probos, aut improbos, qui rem aliquam contraxerint per ius, aut per iniuriam. Nouit etiam ex eadem narratione locorũ descriptiones,&c. Quæ omnia licet tacita cogitatione, quorsum spectent, subolfaciat: tamen, haud planè videt, quò tandem peruentura sint. Ergo propositione animum cura liberabimus, & quasi confirmabimus. Iam verò, nulla res est, qua magis mens nostra capiatur, quàm certo rerum indice, quem affert sine dubio propositio. Quòd cùm intelligerẽt Poëtæ heroici, exordium cum propositione miscuerunt, deq; eadẽ fidelia (vt est in veteri prouerbio) duos parietes dealbarunt, vt auditorum animos blandius delinirent. At postquam Orator exordio sibi auditores demeruerit, capũtq; rei, vnde quæstio manat, aperuerit, breuemq; summã, quàm breuissimis rei natura patietur verbis, fecerit, rem, id est, quæstionem, ante omnium oculos collocabit. Vt si quis ad dicendum de virtute venerit: is postquam à rę ipsa, vel à se ipso, vel

alio

alio modo dicendi initium fecerit: & postquã narratione fontes honestatis aperuerit, vel (si maluerit) de animo, tanquam de eius sede, ac loco dixerit: sub hac de virtute se acturum pollicebitur, ac id ipsum proponet.

DE DVABVS PROPONENDI formis, & quòd auditor idoneus fieri debet ad audiendum. Cap. 17.

SVNT autem duæ proponendi formæ, vna breuissima, quæ eò erit elegantior, si ex narratione nascatur: vt si dicas: de hoc futura disputatio est, vt primum, &c. Breuissima est illa propositio Ciceronis pro Quintio: Negamus te bona P. Quintij sexte Neui possedisse ex dicto Prætoris: Et illa Silij Italici Poëtæ.

Ordior arma, quibus cœlo se gloria tollit,
Aeneadum, patiturq; ferox Oenotria iura
Carthago, &c. Breuius proposuit Ouidius Metamorph. lib. 1.

In noua fert animus mutatas dicere formas
corpora, &c.

Altera proponendi forma ex pluribus constat verbis: qualis est illa Ciceronis pro Lege Manil. Atq; vt inde oratio mea proficiscatur, vnde hæc omnis causa dicitur: Bellum graue, & periculosum vestris vectigalibus, atq; socijs à duobus potẽtissimis regibus infertur Mithridate, & Ti-

& Tigrane, &c. Vide apud Cic. vsq; ad, causa quæ sit, videtis: nunc quid agendum sit, considerate, &c. In propositione auditor sæpe fieri debet idoneus ad audiendum: quia dum proponimus, multa in rei commendationem, quæ proponitur, dicimus. Hîc est aduertendum in vna, eademq; causa posse plures propositiones incurrere: ita tamen, vt vna sit præcipua, quæ totam rei causam complectatur, &c.

DE PARTITIONE, ET VT SIT *collocanda. Cap. 18.*

PROPOSITIONI proxima est partitio, qua exponimus, quid nobis cum aduersario conueniat: & in quo ab illo dissentiamus, & quibus de rebus dicturi simus: quod maxima solet disputationi perspicuitatem afferre. Est igitur partitio breuis quædam quæstionis distributio in partes: Hæc illustrem, & perspicuam orationem reddit, & auditorem audiendi cupidum. Habet enim hac percepta, certam regulam, quam sequatur: quæ est naturæ valde consona: ac propterea memoriæ opitulatur. Rem enim certo quodam ordine diuisam, vt facilius intelligimus: ita tenacius retinemus. Vt autem partitio collocanda sit, ex oratione Ciceronis pro lege Manil. sumi potest, in qua post propositionem, hoc modo distribuit ora-

tio

tionem. Primum mihi videtur de genere belli dicendum: deinde, de magnitudine: tum de Imperatore deligendo. In partitione diligenter animaduertendum est, vt in causæ tractatione, quo quidq; ordine in partiendo positũ sit, eodem disputetur: ita vt, quod primum in partitione distributum erat, primo loco tractetur, & ita deinceps in reliquis partitionis partibus faciendum est. Quod semper fecit Cicero: vt in illa oratione pre Leg. Man. in qua, vt proposita, distributaq; erant singula: sic in orationis discursu explicauit. Hic etiã animaduertendum est, non solum, vt quemadmodum singula diuisa sunt, ita in causa disputentur: verũ etiam, vt in singulis explicandis, & aperiendis, rerum & à nobis dictarum, & quæ mox dicentur, breui admonitione auditorem cómonefaciamus; sic enim eorum animi, qui audiunt, fiũt alacriores ad audiẽda, quæ supersunt: Et quẽadmodum itinerum spacia lapidibus signata, solent viatores animare: Sic admonitionibus huiusmodi (quas transitiones nominamus) animi excitantur, & recreantur: Quare Cicero distributionem causæ Legis Maniliæ paulò antè positam, partibus exequitur, & exequendo, admonet hoc modo: Quoniam de genere belli dixi: nunc de magnitudine dicam. Et postquam de magnitudine dixit, autequam

alte

alterum partitionis membrum aggrederetur, sic & præteritæ disputationis, & futuræ admonet. Satis multa verba fecisse videor, quare hoc bellum genere ipso esset necessarium, magnitudine periculosum. Restat, vt de Imperatore ad id bellum deligendo, ac tantis rebus præficiendo, dicendum esse videatur. Huiusmodi transitiones sunt vtiles ad duas res, prima est ad docendum: nam & quid dictum sit, admonent, & auditorem comparant ad id, quod superest. Altera, ad delectandum: quia auditorẽ, vel lectorem reficiũt, cùm et quod dictum est, velut epilogo sub aspectum ponũt, disputationisq; sequentis summam aliquam proponunt: qua maximè afficimur. Sunt autem duo transitionum genera: vnum perfectæ transitionis, quæ id, quod dictum est, admonet, & quid deinceps dicendum sit, proponit: vt in exemplo Ciceronis posito. Alterum genus est imperfectæ transitionis, vbi antecedens non repetitur: sed tantum consequens proponitur: vt cùm Vergilius Georg. 2. de cultu arborum, & vitiũ disseruisset: nullo facto epilogo, ad tertiũ opus transit, dicens.

Te quoq; magna Pales, & te memorande canemus
Pastor ab Amphryso. &c.

Neq; solum Orator cõmodis trãsitionibus vti debet, cùm ei transeundum est ad alias partes

gene

generalis distributionis: sed etiam ad alias (vt vocant) subdiuisiones, quas rei natura secum affert.

DE SYLVA QVADAM *transitionum. Cap. 19.*

LIBET quandam velut syluam transitionum ante oculos ponere, vt facilius varijs transitionibus vtamur: & prima sit. Dixi quæ causa tanti incendij fuerit: nunc quibus auxilijs extingui possit, accipite. Secunda. Quo animo ille huc venerit, videtis: iam quorsum euasurus sit, faciam intelligatis. 3. De primo dictum est, iam tempus admonet, vt ad secundum accedamus. 4. Hæc vtcūq; à me dicta sunt: quod sequitur, accuratius persequar. 5. Quæ sunt orationis meæ partes absolutæ, venio nunc ad tertiam. 6. Sed hæc vtcūq; ferenda, illud nullo modo. 7. Hæc tibi cum multis cōmunia: dicam deinceps quod proprium sit ignominiæ tuæ. 8. Habetis periculi magnitudinē: nūc quo pacto euitari possit, explicabo. 9. Sic se Hispaniæ res habēt: nunc Gallicas accipite. 10. Rem aggressus sum inopinatò, sed consultò perficiam. 10. Hactenus per iocum, nunc seriò agamus. Ad hunc modum possumus confingere plures alias transitiones, quibus vtcūq; significemus transitum rei: Sed & aliæ trāsitiones venustiores sunt, quæ ex locis exordij sumi possunt, &

renouant attentionem. Et excludunt auditorũ tædium ab animo, si hoc modo fiant: Grauissima sunt, quæ hactenus audistis: sed quæ sequũtur, multò sunt grauiora. 2. Humana sunt hæc Iudices: dicã deinceps ferina, & prorsus monstrosa. 3. Pluribus à me verbis hæc dicta sunt, quàm voluissem: quæ supersunt, dicam paucioribus. 4. Hæc nihil ad nos, id quod sequitur, maximopere ad omnium nostrum honorem pertinet. 5. Attentè, & benignè me hactenus audistis: posthac quæso vos, vt eâdem attẽtione in me sitis. 6. Adeste quæso Iud. res sequitur magna, & ardua, qualem vos aut rarò, aut nunquam audistis. Ad hanc formam tu poteris confingere sexcẽtas alias trãsitiones, quibus vti possis, cùm ab vna re transis ad aliam: aut quoties cõcio fuerit excitanda. Videndum tamen est, ne ante quàm vna pars diligenter explicata sit, ad aliam transeamus.

DE CONFIRMATIONE, QVAE ET *causa appellari potest.* Cap. 20.

POST partitionem sequitur confirmatio: quam nouo vocabulo causam possumus appellare. Antiqui nullum huic orationis parti nomen dederunt: Sed ex confirmatione, & refutatione eam cõstare perhibebant, quàm rectè id, ipsi viderint. Nam confirmatio, & refutatio

tatio effectus potius sunt argumentorū, quàm partes orationis. Præterea, confirmatio, & refutatio diffusæ sunt per totam orationem, quā quam in partibus, in quibus eas collocabant, maximè appareant. Confirmationes quoq;, & refutationes possunt infinitæ in causam incidere: idcirco minimè videntur partes orationis esse. Hæc autem pars orationis, quam Rhetores confirmationem vocant: nos verò causam, est omnium difficilima: quia in ea est quæstio proposita definienda, vel oppugnanda efficacissimis argumentis: quod est acuti ingenij, & excellentis iudicij. In hac parte locum habēt argumentationes, & argumenta, quæ sunt ex inuentione desumenda. Hanc igitur confirmationem, siue causam sic definio. Causa est in qua tota quæstio disputatur cum dubiorum solutione: causam ego voco, quia, vbi ad hanc partem orationis ventum est, tunc verè agi causa dicitur. Nam exordium, narratio, propositio, partitio, seu distributio quasi aditus quidam ad hanc sunt, quam nos causam appellamus. Huius partis orationis certissimum præceptum est, vt causa ad partitionem respondeat. id est, vt in causæ tractatione, quo quidq; ordine in partiendo positum fuerat, eodem disputetur. Qua de re dictum est in partitione satis.

IN DISPVTANDA CAVSA ADHIbendum est iudicium Oratori, & variè ab eo partes argumentationis disponuntur. Cap. 21.

IN tractanda, & disputanda causa, videndum est, quid sit contra nos, & contra quam mēbri (quod tractamus) particulam: Et ad id erit nobis aliàs pressius, aliàs fusius responden dū. Ad quod argumentorum doctrina maximè iuuabit. Sed in argumentis Oratori iudiciū adhibendum est: vt leuia, vel cōmunia reijciat: aut ita arte inserat, vt quæ parua re ipsa sunt: specie magna videātur esse. Et quoniam in hac orationis parte argumentationis partes dispo nuntur, sciendum est, eas variè ab Oratoribus disponi: aliquando enim præponunt assumptionem, deinde complexionem adhibēt, ac tādem propositionem constituūt. Quod si propterea sit obscuritas, mens est ad trutinam artificiosæ dispositionis reuocanda: Vt si locum illum Ciceronis Philip. 2. examinare velis. A me C. Cæsar pecuniam? cur potius, quàm ego ab illo? án ne sine me vicit? at ne potuit quidem. Ego ad illū belli ciuilis causam attuli: ego perniciosas leges rogaui: ego arma contra Consules, Imperatoresq; populi Rom. contra Senatum. P. Q. R. contra deos patrios, arasq;, & focos

cos, contra patriam tuli. Num ſibi ſoli vicit? Quorum facinus eſt cõmune, cur nõ ſit eorum præda cõmunis? In hoc exemplo ſententia argumentationis perfectè concluſa eſt. Attamen complexio præcedit, aſſumptio deinde ſequitur,& vltima eſt propoſitio. Hunc autem ſyllogiſmum,ſeu argumentationem ad normam artis ſic poſſumus reuocare. Quorum facinus eſt cõmune,eorum debet eſſe præda communis: Sed Antonij,& Cæſaris commune facinus fuit: Igitur Antonij,& Cæſaris præda debet eſſe cõmunis. Hoc modo Dialectici partes argumentationis diſponunt: quas tamen Oratores inuertunt, atq; perturbant.

Cæterum,confirmationẽ, ſiue cauſam à laudatione quidam excludunt: quia in ea certa,& non dubia,prædicantur. In deliberatione aptè, & validè cauſa eſt confirmanda ex doctrina argumentorum: At in iudicio, ſic conſtituet illã accuſator, vt argumenta ſparſa in narratione, in cauſa confirmet,& acriter concludat, cõfirmet tabulis,decretis,teſtimonijs,accuratiuſq; in ſingulis argumentis cõmorabitur,& expolitione vtetur,rem vnam,& eãdem alijs,atq; alijs verbis repetendo. At defenſor accuſatoris argumenta ad fidem poſita, aut per ſe diluet in refutatione, ſi ſunt leuia, & falſa: aut ſi non ſint talia, obſcurabit, & obruet digreſsioni-

bus, vt Cicero fecit pro Cluentio.

QVOMODO LOCI COMMVNES *tractandi sunt ab Oratore. Cap. 22.*

IN hac probanda, aut refutanda causa, excurret Orator (si rei natura ferat) ad illos, quos Rhetores cõmunes locos vocant: quoniã disputationem vniuersam continent. Hi loci sunt, quoties aliquid in specie probãdũ est, ad summa genera, quibus subiecta species est, ascendimus: ut rursus ad species descendamus. Id habet egregiam probationem: & sub diuisione comprehensa est: eaq; Cicero mirificè delectatur. Nam in suis orationibus, quæ in rebus singulis, finitisq; versantur, probat in genere, quòd in specie probandum est: vt ab illa probatione hæc necessariò cõsequatur. Sic in oratione pro Archia Poëta præceptore suo, cùm probãdum fuisset, eum meritò ciuitate donandũ esse, etiã si ciuis nõ fuisset. Primum probat omni laude, & quouis honore dignum esse omne genus hominum, qui in artium studijs elaborarint. Probat etiam celeberrimos esse Poëtas, & quouis præmio honestandos: vt inde facilè cõcludat, Archiam esse ciuitate dignum: & ita dignum, vt si ciuis Rom. non esset, fuisset ad id penè solicitandus. Sic idem Cic. pro Muræna contra Sulpicium, cùm vellet probare hunc illo inferiorem

riorem: aut certè plus posse Murænam, quàm Sulpitium Reip. vtilitatis afferre: multa dixit de re militari, multa de iure ciuili: & probat maiora semper in Remp. cōmoda per artē militarem, quàm per ius ciuile fuisse importata: vt ex his postea colligat, Murænam Imperatorem Sulpitio iurisconsulto anteponēdum esse. Sic etiam in oratione pro Lege Manilia, multa dicit in genere de optimo Imperatore, quibus artibus instructum, in quibus à pueritia versatum ducem exercitus futurum esse oporteat: vt cùm illa, quæ futuro Imperatori necessaria sunt, in Pompeio esse probauerit: cōuincat eū solum Mithridatico bello præficiendum esse. Sic pro Planco de fama, & gloria: pro Milone de conscientia, & vi diuina: pro Cœlio de adolescentia multa in cōmune dicit. Quæ omnia Orator ille mirabilis in summo genere probauit, vt idem in specie probaretur. Ad hunc modum & nos, si laudare velimus iustitiam, licebit in genere virtutes laudare: si sobrietatem cōmendemus, laudabimus in vniuersum continētiam: Si pacem suadere velimus, ocium honestum cōmendabimus: Si ignauiam dissuadere, in inertiam inuehemur. Deniq; in quouis genere causæ censeo (Si res patiatur) ad genera suprema confugiendum, vbi maior erit argumentorum, & exemplorum copia. Horum lo-

corum cõmunium exercitatio iuuat multum: quia si aliquando ex tempore dicendum sit, au xilio esse poterunt.

DE PERORATIONE, ET *eius partibus.* Cap. 23.

EXTREMA restat orationis pars, idest, peroratio: quæ est exitus, & determinatio totius orationis. Hæc solet fieri, aut per enumerationem, aut per motum animorum. Enumeratio est rerum ante dictarũ per totam causam breuis quædam collectio, & repetitio. Græcè dicitur ἀνακεφαλαίωσις. idest, recapitulatio. Res enim, quæ per totam orationẽ dispersè, & diffusè dictæ erant, vnum in locum coguntur, ac memoriæ reficiendæ causa sub aspectum vnum proponuntur: quod fieri debet quàm breuissimè, aliàs odiosa erit rerum antedictarum lõga repetitio: & quæ aliud, quàm rerum capita cõtineat. Quam ob rem cauendum est in enumeratione, ne plus satis commoremur: sed tãtum rerũ capita percurramus. Cicero pro Cecinna sic conclusit per enumerationem eorum, quæ diffusè in oratione dixit. Qua propter, si quid extra iudicium est, quod virtuti hominis tribuendum sit, habetis hominẽ singulari pudore, virtute cognita, spectata fide, amplissimum ... riæ totius in vtraq; fortuna cognitum mul ...is

tis signis,& virtutis,& humanitatis,&c. Et Act. 7. in Verre. post precationem quandam mistā omni genere affectuum, tandem sic concludit per enumerationē. Deniq; si omnia eius sunt inaudita, & singularia facinora sceleris, audaciæ,perfidiæ,libidinis,auaritiæ,crudelitatis,dignus exitus eiusmodi vita,atq; factis vestro iudicio consequatur. Aliquando non solet fieri enumeratio: sed vno tantum,aut alio verbo significari. Quale est illud Ciceronis Philip. 5. Dixi, ad ea omnia Consules, de quibus retulistis: quæ si sint sine mora, matureq; decreta, facilius approbabitis ea,quæ tempus,& necessitas flagitat.

ENVMERATIO NEC LAVDATORI, *nec suasori necessaria,in iudicio tamen necessaria est.* Cap. 24.

LAVDATORI necessaria non est enumeratio: quamuis non inconcinnè ea vtatur aliquando ad memoriam confirmandā cum aliqua delectatione, vt auditores facilius intelligant,quid orationis cursu efficiatur:Ratio,cur non sit enumeratio laudatori necessaria, ea est de sententia Ciceronis. Quia laudator delectare vult,& ingenium suum ostentare: Qua in re nulla est opus enumeratione. Itaq; hoc genus orationis fusum est,copiosum,& securum: in

quo tam multa repetendo, noua quædam oratio duceretur. Suasori verò non sæpe enumeratio necessaria est: quia studet breuitati: nec versatur in tam molesta causa, qualis est iudicij. Adde quod in laudatione, & suasione sunt rerũ expositiones, & amplificationes, quæ decrescũt enumeratione. Nil tamen obest aliquando, breuiter argumẽta firmiora collegisse: vt quid ex illis efficiatur, apertè cognoscant auditores, præsertim in confusa causa. Valent præterea in hoc genere, bonorum, & malorum enumerationes, & exempla. Sic Cicero in Rullum, dixit. Vnum fundum pulcherrimum populi Rom. caput vestræ pecuniæ, pacis ornamentum, subsidium belli, fundamentum vectigalium, horreũ legionum, solatium annonæ disperire patiemini? Subdit deinde exemplum. An obliti estis, Italico bello amissis cæteris vectigalibus, quãtos agri campani fructibus exercitus aluistis? Attamen in iudicio enumeratio sæpius accusatori, quàm defensori necessaria est: quia multa iactat accusator infirma: sed quæ tandem collecta turbæ multitudine roborantur. Defensor verò rarius vtetur enumeratione: quia ponẽda sunt contraria ijs, quæ ab accusatore obiecta sunt: quorum dissolutio, & refutatio in breuitate, & angusta enumeratione minus intelligetur, cùm breues erunt solutiones atq; ita infir-

mæ videbũtur, et interim aduersarij firmamenta pungent. Erit autem in enumeratione cauẽdum, ne ostẽtatio memoriæ suscepta videatur esse puerilis: Est enim puerile, artis memoriæ vllum signum dare, ingenium ostentare, & præ se ferre nimiam diligẽtiam. Quare singula breuiter erunt attingenda, & firmissima causæ capita enumeranda. Illud interim hic est aduertendum, quòd enumeratio, quanuis in omni causæ genere locum habeat, præcipuè tamen in artium præceptionibus: cùm ad insignem aliquam operis partem fit transitus, & maximè ad extremum opus. Quod semper fecit Plato, & Cicero in Officijs, in Academicis quæstionibus, & in Oratorijs Partitionibus.

DE MOTV ANIMORVM, ET *de amplificatione. Cap. 25.*

MOTVS animorum est peroratio, ita auditorem concitans, & tanquam aculeo pungens, vt eum ad se vel inuitum pertrahat, aut saltem moueat. Hæc perorationis pars vocatur à Cicerone in Part. amplificatio, quæ est vehemens quædam affirmatio, quæ motu animorũ conciliat in dicendo fidem. De qua latius agemus, cùm de motu, & delectatione, præcepta quædam dederimus. Et motus quidem, ac delectatio proprias artes nullas habent: cõmuniter

ter tamen ex locis inuentionis petuntur,& elocutione,actioneq; : maxime vero ex morali Philosophia,vnde cognoſcitur,quid virtus,& quid vitium ſit : quibus etiam rebus boni viri gaudent,quibus improbi,& quibus vtriq; offendūtur. Quod ſæpe Cicero affirmat in Oratorijs ex omnibus Philoſophiæ partibus, illam partē idcirco Oratori maximē neceſſariam eſſe. Et Ariſtoteles affirmat Rhetoricam ratione motuum, & affectionum partē quandam eſſe Philoſophiæ moralis : ad quam totam artē refert. Quintilianus quoq; dixit lib.1. ob eandem cauſam moralem Philoſophiā Rhetoricæ eſſe partem. Quare,cùm hæc de mouendis affectibus doctrina ad Oratorem pertineat, eaq; in hac perorationis parte tradi ſoleat : libet rem hāc diſtinctius diſputare.

DE AFFECTIBVS MOVENDIS, *deq; eorum fontibus. Cap. 26.*

IGITVR affectus eſt animi facultas,qua de bono, & malo opinato mouemur. Bonū vocamus id quod prodeſt:malum verò,quòd obeſt. Ad bonum mouemur, vt ſequamur : à malo auertimur, vt fugiamus. Affectionum duo ſunt fontes præcipui : amor erga bonum, & odium erga malum. Ex his reliquæ naſcuntur, lætitia de bono præſenti : & mæror huic contra

tra

trarius, spes, & metus, fiducia, desperatio, fauor, indignatio, ira, misericordia, quæ in præsens, & in præteritum, & in futurum patent: quorum exacta disputatio librorum est de anima. Nos hic nõ quibus rebus: sed quibus Oratoris verbis. & qua oratione moueantur, docebimus. Affectus ergo mouentur dicendo, aut expreßione eorum verbis dicentis, aut rebus agentis, aut oratione materiæ accõmodata ad eos eliciendos sensis, & verbis. Affectus, qui de bono sunt, rectè ex amore nascuntur: vt fauor, lætitia, misericordia: qui sunt mitiores, quàm, qui ex odio. In re auditoris, vel in aliena, mouemus acres affectus, aut mansuetos hoc modo. Principio vnumquodq; animal sibi ipsi naturæ ductu cõmendatum est. Sed propter Adami culpam natura nostra deprauata, factum est, vt se quisq; tenerius amet, quàm decet. Quapropter facilè erit in rem suam cuiq; persuadere, quidquid libuerit (cùm nemo non sit rerũ suarum iniquus iudex) tũ & aduersus alios odiũ, & indignationem concitare.

AD MOVENDVM, QVAE SINT *considerãda. Cap. 27.*

SED in vniuersum, quoniam non est cuiusuis tentare affectus mouere: ante omnia consideremus, qui nos simus, qui illi, quos mouere volu

volumus,aut ſedare: quod eorum de rebus iudicium: quibus rebus plurimum tribuant,quibus parum:in quos affectus ſint procliuiores,à quibus alieni, ex quibus in quos leuiter tranſeant,ex ingenio, moribus, ætate, &c. Deniq; ex omnibus circunſtantijs. Induenda illorum mens eſt,& totum ingeniũ tantiſper, dum quæ ad noſtram rem faciant, excogitemus: Ponamusq; nos in eorum loco,id eſt, ſi nos eſſemus illi,quibus tandem in præſenti negotio moueremur,vel ſedaremur. Eſt enim hæc phantaſia mirum in modum conducibilis ad ea inuenienda,quæ ſint opus ad mouendum.His ita conſtitutis,ad mouendum argumenta petenda ſunt, vel ex re, quæ accidit, aut expectatur: vel ex perſona ad quam ea res redit. Alienis enim caſibus,tanquam noſtris, ſæpe dolemus. Quare deſcriptiones malorum alienorum, aut bonorum,concutiunt animos noſtros:& alioqui ijs, quæ fabuloſa ſunt,exhilarantur. Affectus,vt medij ſunt inter ſenſum, & mentem: illis tamẽ citius mouemur,quæ ſenſibus propinquiora ſũt: quàm ijs,quæ mente,& ſola cogitatione comprehenduntur.Ideoq; rebus ſingularibus celerius,quàm vniuerſalibus irritamur. Validius enim ad affectum eſt,ſi dicas: huic homini dedi veſtes,& pecuniam: inſtruxi eum eruditione, dignitate ornaui,&c. At ipſe nunc eam mihi gra-

gratiam refert,vt me ſpoliatũ velit domo,vita, &c. Quã ſi in genere dicas. Graue eſt hominẽ, cui veſtes dederis,& pecuniam,gratiam nõ referre : Niſi prius de illo ſingulari homine locutus fueris. Præterea, promptius mouent, planius, & apertius dicta,quàm acutè, quæq; non ſtatim obuia intellectui ſunt:viſa quoq; ,quàm audita. Mentis actiones quia affectibus contrariæ ſunt,Ariſtoteles cenſuit ad excitandos animos non eſſe inefficaces rationes dialecticas: propterea quòd ex vniuerſalibus colliguntur, & ad eas intelligendas ſpeculatione mentis opus eſt: adde quòd multum habent artis, quæ hîc potiſsimum cælanda eſt. Inter omnia argumentorum genera exẽpla magis mouent,propter naturæ ſimilitudinem : tum comparationes,imaginẽs,ſimilitudines, quæ ſunt ſenſibus vicinæ. Sententiæ quoq; peruulgatæ cõmodæ ſunt ad mouendum : quia ſtatim eas auditor percipit,quòd ſint communes. Magnum, & ardentem affectum oſtendit eius rei interrogatio,quæ à nemine poteſt ignorari : vt ſi dicas. Viuimus in tenebris ? Quid iſtud eſt ? Vigilamus? an dormimus?

DE SEDANDIS AFFECTIBVS, ET *quibus rebus delectamur, & detinemur.* Cap. 28.

AD

AD sedandos affectus contraria his conducunt: quare diligenter obseruandum est, quæ res potissimum affectum excitauit, vel bâne, an sensa? Et verba extenuanda sunt, aut aliorsum auertenda, & alijs infirmioribus verbis referenda. Sin compositio, dissoluenda: vt vento flacescente, affectus cadat. Exemplo est, quod nos cómoueri videmur tragicis verbis, & metro: at eadem si submissius, dissolutisq; pedibus dicâtur, roboris habebunt nihil. Quæ figuratè efferuntur, sublata figura, nô idem poterunt: aut certè alia figura figuræ artificiosæ est obijcienda. Si calidè irreplit, qui mouit, ars eius est patefacienda. Affectus flacescit mora, præsertim de aliena re: vnde est illud, nil citius arescit lacryma: Ideoq; magni in dicendo viri in peroratione animos concitabant, quos statim concitatos relinquerent: ne ipsis dicentibus in habitum alium mutarêtur. Collidunt se etiam affectus, tanquam vndæ in mari: alius alium vrget, vel minuit, vel tollit. Odium misericordia mitescit, fauore inuidia diluitur, ira amore, vel reuerentia, &c. Hæc & alia valent ad sedandos affectus. Sed pauca subiungamus, quæ ad delectandum, vel potius ad detinendû auditorem, prosint. Et in primis detinentur auditores, vel propter res, vel propter verba. Res quibus capiûtur, siue delectatione continêtur, siue

siue admiratione, siue cōcitato affectu, quē nolint pendētē relinquere. Delectatur quisq; illis reb⁹, quarū vsu percipit voluptatē: tāquā si illas in tabula depictas cernat: vt agricola sermonibus de satione, & frugibus, sed magis cōdēdis, quàm exercendis: miles de victoria potius, quàm de castris, &c. Sunt etiam menti suæ voluptates: vt acutè dicta, cordatè, salsè. Boni viri virtutum exemplis capiuntur: Studiosi arcanis earum artium, quas exercent. Iam verò res nouæ, admirabiles, insolitæ, magnæ, atroces admirationem pariunt: ideoq; detinent, atq; delectant. Deniq;, vt sensibus corporis ea sunt iucunda, quæ illorum sunt naturæ consentanea: sic animo cuiusq; : cùm ei sit suum palatum, sicut & corpori.

DE TRIBVS MODIS, QVIBVS *auditor mouetur.* *Cap. 29.*

ET vt hanc de mouendis, & delectandis auditoribus disputationem absoluamus. Dicendum esse videtur, posse auditores tribus potissimum modis moueri, & concitari: nempe, inflāmatione amoris, indignatione, & cōquestione. Amoris inflāmatio est peroratio mouens in animo auditoris expectationem, admirationem, voluptatem. Hac vtetur Orator in genere demonstrationis, & deliberationis: & sumitur,

ex locorum inuentione: & ex ijs, quæ hactenus de mouendis affectibus dicta sunt. Indignatio est peroratio, per quam facimus, vt in aliquem odium magnum, aut in rem grauis offensio cócitetur: Hoc autem consequemur, si rem, aut hominem inutilem, turpem, atrocem, & indignum relatu esse probemus: Ac propterea, seruiet vituperationibus, dehortationibus, &c. Plenæ sunt exemplorum huiusmodi Ciceronis Philippicæ, & Verrinæ actiones, &c. Cóquestio est peroratio misericordiam captans: quæ fit, cùm obsecramus Auditores supplici oratione, vt misereantur. In cohortationibus potest multum conquestio, si ponatur luctus, mœror, ac tristitia eorum, quibus charus is est, quem cohortaris. Extát cóquestionis exempla optima in Ciceronis orationibus pro Milone, pro Cluentio, & pro Flacco. Atq; hæc hactenus de mouendis affectibus & delectãdis satis. In quibus Orator aliàs magis, aliàs minus cómorabitur. Ac si res petat, dabit hîc mutis rebus sermoné, loquẽtur ciuitates, regiones, loca: deniq; mortui ab inferis excitabuntur. Hîc tamen obseruadum est: ne plus satis affectibus demus: sed breuissimos nos esse oportet, & tantisper cómorandum, dum auditores mouebuntur. Arguméta verò in peroratione grauia esse debent, & minuta reijcienda: quia rebus magis, quàm

quàm verbis auditores mouendi sunt. Et ex rebus, grauiores, atq; efficatiores vehementius mouent.

DE AMPLIFICATIONE ALTERA *perorationis parte.* Cap. 30.

SED iam de amplificatione dicamus, quæ res infimas attollit, mediocres exornat, sublimes auget, & affectus quoq; ipsos accendit: alioquin sæpissimè frigerent, nisi amplificationis beneficio crescerent paulatim, mirumq; in modum alleuarentur. Est igitur amplificatio vnius argumenti per alia quædam propositionis amplificandæ gratia dilatatio. In quã, quia multæ propositiones incidere solent: periculũ est, ne malè dispositæ, minus aptè cohæreant. Quare artem instituamus, quã commodè propositiones disponantur, & collocentur. Et tota hæc collocatio in ordine sita est: quam facilioris doctrinæ gratia, in partes, ex quibus cõstat, diuidamus. Ita enim fiet, vt vna, eademq; via & partes, & earum collocationem ostendamus.

DE AMPLIFICATIONIS *diuisione.* Cap. 31.

EST igitur amplificatio in quatuor partes distributa nimirum, in argumentum, confirmationem, exornationem, & conclusionem. Propositi-

poſitionem ideo in his non numeramus, quòd argumentatio ſine propoſitione nulla eſſe poſſit. Argumentum quid ſit, ex libro primo de inuentione conſtat. Nunc id non agimus, vt eius naturam oſtendamus: ſed vt eius in amplificatione diſpoſitionem aperiamus: quæ eiuſmodi eſſe debet, vt propoſitionem ſubſequatur. Sit v.g. hæc propoſitio: Sapientia cæteris rebus antecellit: mox huic ſubijcies probationem ex aliquo genere argumentorum: à fine, quoniã facit homines benè, ac beatè viuere. Ab effectis, quoniã ciuitates gubernat, & regit: à ſubiectis, quoniam ſedem habet in mente: ab adiũctis, quoniam, illi, in quibus ineſt, prudentes, & officioſi redduntur: à diſſentaneis, quoniam ignorantia tam eſt homini fugienda, quàm ardentiſsima peſtis, &c. Confirmatio eſt ratio breuiter firmans argumentum expoſitum ex iiſdem locis, & argumentis. Exornatio eſt, qua vtimur rei locupletandæ gratia: quæ ſumitur præcipuè à comparatis, & à teſtimonijs. Concluſio deniq; eſt, quæ breuiſsimè cócludit colligendo diffuſas amplificationis partes. Hoc facilè videri poteſt in exemplo paulò antè poſito. Sapientia cæteris artibus antecellit, propterea quod ampliſsimam, nobiliſsimamq; partem hominis mentem occupat: quæ quantò in nobiliori loco ſita eſt, tãtò eſt excellẽtior iudicãda.

Hîc propositio à subiecto probata est: cui subijcitur confirmatio aucta aliquot argumentis: Nam neq; probabile est, rem alioqui inferiorē, omnium præstantissimum locum assecuturam fuisse, nec aliquas artes ad infimos locos detrudendas: si cum hac essent comparandæ. Res infimæ, atq; viles in infimo loco consistunt: cōtrà magnæ, & supremæ non nisi sublimia petūt: Hîc argumenti cōfirmatio desumpta est à dissentaneis, cui subnectitur exornatio, & primū à simili: Vt enim in rebus omnibus, quæ natura constant, præstantissimis quibuscunq; præstantissimi loci dati sunt: sic Sapientiæ fuisset nunquam (nisi omnium nobilissima esset) nobilissimus locus assignatus. Sub hæc à maiori. Artes reliquæ vni animo parent, ex quo intelligitur, & omnia quæ in animo insunt, illis dominari. Vnde quæ in reliquas imperium habet, excellentiam habeat necesse est: Iam à minori. Dominatum in populo qui habet, præstantissimus reliquorum totius populi perhibetur. At Sapiētia, cui totius orbis moles subiecta est, nónne præstatissima censebitur? A simili. Arcem, qui tenet præsidijs munitam, superior iudicatur: Sapientia, quæ humani corporis arcem possidet, quid ni superiorē faciamus? A collatione: Sapientia ex eo loco prouidet, & consulit cæteris artibus: illæ proprijs, & suis. Hæc in rerum

cognitione versatur: illæ in acquirendis pecunijs. Hæc regit: illæ reguntur, &c. A testimonio. Quod cùm videret sapientissimus Socrates, dixit, eam rerum omnium esse moderatricẽ, atq; reginam. Iam sequitur conclusio: Quare si naturæ ordini, si loci amplitudini, si exemplo aliquid tribuendum est, Sapientia cæteris artibus anteponenda est. Vides argumentũ à subiecto deductum per hanc amplificationis artem esse dilatatum? Iam audi eandem sententiam ab effectis dilatatam. Sapientia omnibus artibus est anteponenda: quia societatem humanam regit: quod vt est factu difficillimum: ita id per quod tantum bonum efficitur, censendum est longè omnium præstantissimum. Etenim vna hæc res omnes moderatur, bella detestatur, et longè à vita propellit, pacem conciliat, & in ocio tranquillam vitã tuetur. Infert quis damnum? hac vindice vlciscitur. Cómodum tribuisti? hac tribuente, remunerabitur. Quibus omnibus vita non aliter, quàm clauo nauis gubernatur. Nauis amisso gubernaculo, periclitatur: non minus Resp. ac tota vitæ communio, sublata Sapientia, periclitabitur. Ab exemplo: Declarauit hoc Atheniensium Resp. quæ tãdiu libera fuit, ac rerum potita, quandiu per viros sapientes administrabatur. Postea his exactis ab administratione, tyrãnidi seruire coacta est.

Adeo

Adeo infeliciter viuitur, vbi sine Sapientia viui tur. A testimonio. Quod mihi diuinus Plato intellexisse videtur: qui eas respublicas beatas dixit fore, in quibus Philosophi regnarent, aut reges philosopharētur. A dissentaneis. Rerum ignorantia sæpe in Rep. prauas sectas suscitauit, miscuit orbem miserabili armorum tumultu: quæ Sapientia compescuit, aut certè, vt deponerentur, vehementer suasit. A simili. Legem qui tulit populo fauorabilem aut gratam, Rēp. dicitur sustentare: Sapientia, quæ innumerabiles tulit, ac quotidie fert, non modò fauorabiles, verùm etiam vtiles, ac salutares, nónne ab ea meritò dicas orbem terrarum ali, & sustentari? Conclusio iam sequitur. Quare cùm incredibili Sapientiæ beneficio vitam nostram sustineri intelligamus, quò nihil est præstātius: cómuni sensu carere videbimur, nisi eam reliquis artibus anteponamus, &c. Hæc tenenda nobis est amplificandi ratio, qua omne genus argumenti locupletari potest. Quod in quibusdam submissius, in quibusdam latius est agendum: nec est vna, eademq; forma seruanda: nā aliàs abundè amplificatū erit argumentū per cōfirmationē, pro loci opportunitate, vel materiæ, vel personæ, vel tēporis: Amplificatio tamē elegantissima, & absolutissima illa est, in qua nulla de quatuor illis partibus desideratur.

DE DVOBVS ALIIS MODIS *amplificandi. Cap.* 32.

ET vt hanc artem amplificandi absoluamus, duas alias rationes vel amplificandi, vel minuendi subiungamus. Prima fit in ipso rei nomine: vt cùm eum, qui sit læsus, occisum dicimus, & eum, qui sit improbus, latronem. Et cõtrà, eũ qui pulsauit, attigisse, & qui vulnerauit, læsisse prædicamus, &c. Altera amplificandi ratio est, cùm ampliora verba cum ipsis nominibus, quæ sumus posituri, conferuntur: vt in Verrem Cicero. Non furem, sed raptorem, non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ, non sacrilegum, sed hostem sacrorum omium, &c. in vestrum conspectum adduximus: sic crescit, & manifestior fit amplificatio. Quæ cùm in vno nomine fit tantum, obscurior multò est, quàm cùm alijs, atq; alijs verbis comparatur.

DE METHODO PRVdentiæ. *Cap.* 33.

DE Methodo doctrinæ, atq; argumẽtorum, & partiũ orationis ordine, & collocatione hactenus satis multa diximus: Restat iam, vt dicamus, qualem in dispositione prudentiæ rationem Orator seruare debet. Nam etsi ratio illa disponendi ex arte elegantissima, certissimaq; fit: sæpe tamen impeditur, vel à causa, de

qua

qua agitur, vel ab auditore, vel à loco, vel à tempore, &c. Quare non licet semper eam præceptioné sequi, quam ratio doctrinæ præscribit: nec semper vtendum est principio, nec narratione, nec propositione, nec partitione, nec causa, seu cõfirmatione eodem modo directa, nec peroratione: sed modò illam, modò hanc orationis partem relinquemus, & ordinem inuertemus tum argumentorum, tum partium orationis, & ad rei, ac personarum, lociq; & tẽporis conditionem, non ad artis præcepta cursum orationis dirigemus. Atq; hoc totum prudentiæ methodum vocamus. Multa enim oportet dissimulare, fingere, & scienter prætermittere, & quæ in vno loco dicenda erant, in alium differre, vt Oratoris prudentia iudicauerit. Ideoq; hæc prudentiæ methodus, & dispositio à Rhetoribus appellatur, quòd magis in iudicio, & prudentia dicentis versatur.

IN QVO CONSISTAT METHOdus prudentiæ, Cap. 34.

AC tota huius prudentiæ ratio in eo sita est, vt quid, apud quem, pro quo, contra quem, quo tempore, quo loco, quo rerum statu, qua opinione, & quantum dicendum sit, perspiciatur. Quæ animaduersio tota, aut rerum est, aut personarum, aut temporum, aut locorum. Et

rerum aliæ sunt honestæ, vtiles, et iucũdæ: aliæ contrà inhonestæ, inutiles, & suspiciosæ: aliæ verò se habent alio quodam modo. In personis spectantur attributa, Italus, an Hispanus, &c. Nam singulis nationibus proprij mores sunt, pro quorum conditione oratio mutanda fuerit. Igitur Orator virtutes, & vitia cognoscet: considerabitq; personam, sit ne vir, an mulier, iuuenis, an senex? &c. In his enim oratio mutanda sæpe est. Alia in tempore sunt consideranda: aut enim est angustum, aut ociosum, opportunum, aut minus aptum. Locus etiam solet esse alienus, publicus, priuatus, &c. Quorum varietas orationem sæpe variat. Maiori enim apparatu publicè, quàm priuatim, & corã frequentiore concione, quàm coram rara, perorandum est. Et de incerto horum casu, & orationis accõmodatione ad eorũ euentum, nulla præcepta dari possũt, sed consilia. Primum, ne res turpes, odiosas, & inutiles aggrediamur: sed circuitione, & longo ductu in eum locum veniamus, vbi propositæ res minus fastidij sint habituræ. Atq; in his nõ vtemur propositione, & partitione. Si hominem morosum, ac difficilem adhorteris, vteris insinuatione: vt Cicero fecit ad Q. Fratrem in quadam epistola, & pro lege Agraria finxit se popularem, cùm populi causam euertere conaretur. In tempore angusto

gusto vix loquendi ſpacium datur: ideoq; exordio ſuperſedendum eſt. Poëtæ, qui ad vulgi voluptatem loquuntur, coguntur ſæpe artis ordinem relinquere: tẽporis ordinem negligere: & ab eo loco, vnde admiratio, delectatio, indignatio, aut aliquid ad motus animorum inopinatò eueniat, ordiuntur, vt poſtea inopinatus, & improuiſus rei euentus magis delectet. Sic Vergilius errantem AEneam, non excepit à littore Troiano: ſed primũ narrat lib. 1. AEneid. Quemadmodum è Sicilia in Libiam nauigans, tempeſtate compulſus, delatus fuerit: qui in conuiuio Didûs Carthaginenſium reginæ, narrat à principio, vt Troia euerſa fuerit, quibuſq; erroribus eò nauigauerit. Sic Homerus, Comici, & Tragici Poëtæ à medio auſpicantur, & in narranda hiſtoria ordinem temporis perturbant. Similiter (ſi res ferat) licebit ab extremo incipere: mox medium adiungere, & in principio deſinere, & finem facere, aut quouis alio modo. Deniq; bonus Orator erit quaſi veterator verſipellis, & aſtutus: ac vt polypus, qui ſemet ad omnem ſubiecti ſoli habitum applicat: ita ſe ſe ad caſum, & euentũ perſonarũ, tẽporũ ac locorum, tanquam habitum, attemperabit.

APPENDIX PRVDENTIAE. *Cap.* 35.

EPITHETA, ſeu appoſita vim habent probationis: ideoq; ſine delectu ad orationem

non

non debent adhiberi. Fit autẽ epitheton, quoties proprio nomini cognomen apponitur: vt, diuinus Plato: ponitur etiam ornatus causa, vt alma Ceres: & vituperandi, vt scelerum inuentor Vlysses: & indicandi, vt Paulus doctor gẽtium. Sumuntur verò epitheta, vel à loco, vt Ithacus Vlysses: vel ab officio, vt institutor Cicero: vel ab euentu, vt Scipio Affricanus: vel à corpore, vt pulcher Iulus. Deniq; ab omni loco dialectico epitheta sumi possunt: nec ea sũt passim ad orationem adhibenda: sed ad finem orationis accõmodanda: quod magis est prudentiæ, quàm artis. Est autem vtilis accõmodatio epithetorum: vt si petiturus veniã à principe pro delicto, cõmodius clemẽtissimum, ac mitissimum, quàm fortissimũ, & inuictissimũ appelles: & elegantius eius mansuetudinẽ, quã fortitudinem implores. Et vice versa, si eius auxilium petas ad vim propulsandam, potentem, & fortem potius, quàm clemẽtem dixeris, &c.

APPENDIX ALIA. Cap. 36.

NEQVE est hîc prætermittẽda testimoniorum, & exemplorum tractatio: Hæc enim cum apparatu in causam adducta, vim habent probandi. Et in his, quædam nobiscum faciunt, & quædam stant ab aduersario. Quæ stant à nobis, debent cùm citantur, breui præfatione cõmendari: vt. Cæsar Imperator illustris bellorũ,

&

& casuum (quos indies fortuna varios solet afferre) peritissimus, aliter iudicauit, ac tu de collocandis ordinibus, in loco præsertim difficili, & ad inuadēdum opportuno. Plato vnicus Philosophiæ magister in longè alia sententia est. At si vel testimonia, vel exēpla sint contra nos: aut è re nostra sit, illa deprimere: nil facilius, quàm verso stylo ea notare: cùm sit eadē via vituperandi, quæ laudandi.

DISPOSITIONIS VTILITAS, *& commendatio. Cap. 37.*

AC de dispositione hactenus: Cuius illud maximū est cōmodū: quod ita res declaretur, vt Orator non dixisse, sed sub aspectum posuisse, & auditor nō audisse, sed suis oculis aspexisse videatur. Et vt ex ordinis perturbatione cōfusio rerum sequitur: sic non potest ordine seruato, rei facilitas non apparere. Homines in turba non facilè dignoscas: separatos, & singulos melius contēplaris. Sic in ordinem digesta res melius intelligitur. Valet etiam dispositio multum, ad memoriam confirmandam: Nam, quæ ordine percipimus, eodē ne obliuiscamur, efficitur. Quare si cognitionem, si memoriam, & orationis intelligentiam habere desideras, hanc de dispositione tractationem summo studio consectare.

FINIS LIBRI SECVNDI.

DE ARTE RHETORICA liber tertius.

DE ELOCVTIONE, ET eius diuisione. Caput. 1.

EXPOSITIS IN SVperioribus libris duabus Rhetoricæ partibus inuentione, & dispositione: deinceps elocutio tertia eiusdē Rhetoricæ pars in hoc tertio libro disputāda est: quæ huius artis propria, atq; præcipua est: vnde ab ea Orator eloquens denominatur. Hæc igitur pars cum reliquis facilior, & vsu frequētior sit: mirum est, quanta sit cōfusione, sine methodo, sine certis regulis, tam à veteribus, quàm à recētioribus auctoribus tradita: adeò, vt de illis possimus vsurpare tritum illud: Quot capita, tot sententiæ. Quare nos in elocutione tradenda, eos auctores imitabimur, qui & melius, & artificiosius illam nobis tradiderunt: quales sunt Audomarus Talæus, & Ioannes Nunesius Valētinus, quos deinceps & alij secuti sunt: ita tamen, vt multa ad ea quæ illi præceperunt, ex alijs auctoribus addamus, quæ ad elocutionē expla-

explanandam, atq; ad eius vsum pertinebunt. Ergo elocutio sit orationis exornatio: qua à vulgi consuetudine ad elegantiorem quendam modũ oratio cõmutatur. Cuius partes numerantur tres, nimirum, tropus, figura, & concinnitas.

DE TROPO, ET EIVS diuisione. Cap. 2.

TROPVS est elocutio, qua propria verbi significatio in aliam mutatur, à verbo τρέπω, id est, muto. Tropi genera sunt quatuor ex argumentorum locis hac methodo collecta: nam omnis mutatio propriæ significationis aut fit ex caussis ad effecta, aut ex subiectis ad adiũcta, & tunc est metonymia. Aut fit ex oppositis ad opposita, & tunc est ironia: Aut fit ex comparatis ad cõparata, & tunc est metaphora: Aut fit ex toto ad partẽ, & vicissim, ex parte ad totum: & tunc est synecdoche. Quare quatuor sunt genera troporum, metonymia, ironia, metaphora, & synecdoche. Plura quidem genera troporũ traduntur à Rhetoribus: sed eorũ partim non sunt tropi: partim ad hæc quatuor referuntur.

DE METONYMIA, ET EIVS diuisione. Cap. 3.

METONYMIA tropus est, cùm ex caussis effecta, aut ex subiectis adiuncta: contrà ve signifi-

significamus, idest, cùm nomina causis, aut rebus subiectis propriè accõmodata, ab illa natiua significatione ad significandos effectus, aut res adiunctas traducimus: aut vicissim, cùm nomina propria effectorum, vel adiunctorum ad indicandas causas, aut res subiectas immutamus: vnde metonymia dicta est à μέτα, quòd est trans, et ὄνομα nomen, quasi nominis traductio. Hanc (vt ait Cicero) hypallagen Rhetores appellant, quia quasi verba pro verbis submutantur. Metonymiam Grãmatici, quòd nomina transferantur. Eâdem significatione auctor ad Herênium denominationem vocat. Sũt autem metonymiæ quatuor modi, ex eius definitione collecti. Primus est, cùm causæ nomen transfertur ad effectum: vt cùm inuentorem, & auctorem rerum pro rebus ipsis ponimus: vt Cererem pro frugibus ab ea inuentis, & Bacchum pro vino. Sic Terẽtius dixit in Eunucho. Sine Cerere, & Baccho friget Venus. Et Cicero pro Marcello Martẽ pro bello posuit, dicens. Quos amisimus ciues, eos Martis vis perculit, nõ ira victoriæ. Sub hoc primo modo sumitur auctor pro opere ab ipso facto. Atq; ita Liuium Martialis lib. 14. posuit pro historia ab eo scripta, dicens.

Pellibus exiguis arctatur Liuius ingens,
Quem mea non totum bibliotheca capit.

Primus

Primus hic metonymiæ modus vbiq; locū habere poteſt, & in re læta, & triſti. In re tamen graui,& ſeria magis vſurpari debet: Poteſt etiam ad rem obſcurādam adhiberi: præſertim cùm de re turpi agitur:honeſtius enim eſt illud Terentij,Sine Cerere, & Baccho friget Venus, & obſcurius,quàm ſi facta mentio fuiſſet cibi, & vini,atq; libidinis.

DE SECVNDO MODO *metonymiæ. Cap. 4.*

SECVNDVS metonymiæ modus contrarius primo eſt,& Poëtis vſitatior, cùm effectus ponitur pro cauſa. Sic pallida mors dicitur,non quòd ipſa ſit pallida, ſed quòd hominē reddat pallidum: ſic dixit Horatius lib. 1. Carminum ad Seſtium Conſulem.

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,
Regumq; turres, ô beate Seſti.

Eâdem ratione à Vergilio lib. 6. AEn. morbi pallētes,triſtiſq; ſenectus dicuntur. Sic dicitur obſcura ſpes, quòd obſcurum euentum exhibeat, & expectatio cæca, quòd cæcos, & ignaros reddat homines. Oratores quoq; vtuntur aliquando hoc modo metonymiæ,cum dicunt hilarem adoleſcentiam,& præcipitem iram. & ocium ſegne, &c. In quibus exemplis ex effectis cauſæ ſignificantur: ſimiliter cruentam, &

M triſtem

triſtem legem dicimus, quòd cruentas, & triſtes conſcientias reddat, & euangelium lætum, quòd nos lætos efficiat.

DE TERTIO METONYMIAE *modo. Cap. 5.*

TERTIVS metonymiæ modus dicitur, cũ nomen proprium rei ſubiectæ ad ſignificandam rem adiunctam, traducitur: vt cùm ponitur continẽs pro re contenta. Sic Hiſpaniã pro Hiſpanis, ciuitatẽ pro ipſis ciuibus ponimus. Hinc Vergil. lib. 6. AEn. Romam dixit pro Romanis. *Illa inclyta Roma*

Imperium terris, animos æquabit Olympo:

Et alibi ipſe Poëta aſpera ſecula poſuit, pro hominibus illorum ſeculorum. Hûc pertinet, cùm poſſeſſor ſumitur pro re poſſeſſa: Vergi. 2. AEn. Proximus ardet Vcalegon: ideſt, Vcalegonis domus. Et cùm ex Imperatore exercitus eius intelligitur. Cic. de prouincijs conſul. Ipſe. C. Marius, cuius diuina virtus magnis populi Rom. luctibus, funeribusq; ſubuenit, influẽtes in Italia Gallorum maximas copias repreſsit. Hĩc Marius pro exercitu Marij ſumitur. Habet in oratione multum iucunditatis, & concinnitatis tertius hic metonymiæ modus.

DE QVARTO MODO *metonymiæ. Cap. 6.*

Quar-

QVARTVS modus metonymiæ est, cùm ex adiunctis res subiectas intelligimus: estq; præcedenti contrarius. Sic nomina virtutum pro ipsis viris bonis,& vitiorum, pro malis vsurpamus.Cic.Act.1.in Verrem. Quas res luxuries in flagitijs,crudelitas in supplicijs,auaritia in rapinis,superbia in contumelijs efficere potuisset,eas omnes se se hoc vno Prætore per triennium pertulisse. Hic luxuries pro homine luxurioso,crudelitas pro crudeli,ponitur. Et in Catilinam.2.comparatione Catilinariorum, & ciuium Rom. ex vitijs, & virtutibus personas ipsas intelligimus. Sic igitur Cicero. Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia: Hinc pudicitia,illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio, &c. Huius metonymiæ quarti modi est illud eiusdem Cic,pro Ligario. Quid enim Tubero tuus ille gladius districtus in acie Pharsalica agebat? cuius latus ille mucro petebat?gladium hic pro homine gladio accincto posuit, & mucronem,seu arma pro armato: idest, adiūctum pro subiecto. Hac metonymia si iratus utaris,ardebit oratio:vt illa Terentij. Vbi illic scelus est, qui me perdidit? quid facit mōstrū hominis? Sed ecce ipsa egreditur nostri fundi calamitas.

IN VNO,ET EODEM EXEMPLO CONfunduntur hi quatuor modi metonymiæ:ratione tamen separantur. Cap.7.

ATQVE hi ſunt quatuor modi metonymiæ ratione ſemper diſtincti: Sed aliquando in vno, & eodem exemplo confunduntur: vt in eo verſu Vergilij Eclog. 4.

Nec nautica pinus, &c. mutabit merces:

Hîc pinus pro naui pinea ſumitur per metonymiam primi modi: & nautica pro nauta, qui merces mutat, per metonymiam tertij modi. In Eclog. 1. vbi ait.

Post aliquot mea regna videns mirabor ariſtas.

Notatur metalepſis, id eſt tranſumptio, quæ eſt metonymia geminata in eadem dictione: Nam per ariſtas æſtates intelligimus per metonymiam quarti modi: et etiam per eaſdē ariſtas annos per eandem metonymiam intelligimus. Nec tamen hoc ſic velim præceptum, vt aptè, & ornatè ſignificari putemus ex omnibus cauſis effecta, & ex omnibus ſubiectis adiuncta, cõtráve: Sed vſus benè, & ornatè loquentium totam hanc rationem confirmabit: quem nos in dicendo, & ſcribendo imitari debemus. Metonymia enim interdum gratiam habet in carmine: non tamē in proſa. Quare ſiue in carmine, ſiue in proſa optimos auctores imitabimur.

DE IRONIA SECVNDO *tropi genere.* Cap. 8.

SECVN

SECVNDVM tropi genus eſt ironia, cùm nomen vnius diſſentanei pro altero diſſentaneo ponitur: ea dicitur ἀπὸ τοῦ εἴρωνος.i.à diſsimulatore. Latini vocant ſimulationem, diſsimulantiam,& illuſionem: quia aliud,quàm dicit,vult intelligi. Eſt autem duplex ironia vna rei,cùm noſtram ſententiam ex induſtria occultamus,ne videamur fateri, quod occultare volumus: Et hæc eſt Socrati familiaris in dialogis Platonis,& non eſt tropus. Altera fit in verbo: cùm diſſentaneum ex diſſentaneo ſignificatur,vt bone vir de eo,quem malum eſſe iudicas: Terētius in Andr.Heus bone vir,curaſti probè? Atq; hæc ironia vel eſt aperta,& facilè ab omnibus intelligitur, vt vir moderatus, & ſanctus.L.Catilina. Vel eſt obſcura propter ignotam perſonam, aut rem,de qua dicitur, aut illius,qui dicit,mentem,& voluntatem.Eſt etiā diſsimulatio, quæ non poteſt intelligi, niſi ex pronuntiatione,& geſtu illo plus loquēte, quā verbis.Et tunc pronuntiatione,& rei,quæ pronuntiatur, natura cognoſcitur: Nam ſi quid eorum verbis diſcrepat: apparet diuerſam eſſe ab oratione voluntatem.Sic Cicero in Verrē. Prætor vrbanus,homo ſanctus,& diligens ſubſortitionem eo die non haberet. Solet aliquādo ironia multiplicari,hoc eſt,non in vno, ſed in multis verbis fieri, idq: cum riſu. Vt Cic. in

Clodium. Integritas tua (mihi crede) te purgauit,pudor eripuit,vita anteacta seruauit. Et Vergil.lib.4.AEneid.

Egregiam verò laudem,& spolia ampla refertis
Tuq;,puerq; tuus,magnum & memorabile nomen:
Vna dolo diuûm si fœmina victa duorum est.

Nec idcirco Rhetorici ornamenti genus mutatum est,vt hæc ironia debeat figura vocari: sed multi tropi continuati sunt,& nõ tropus vnus: Nam tres, quatuórve homines non aliud animalis genus faciunt, quàm vnus, nec numero genera, sed natura distinguenda sunt.

DE VSV, ET COLLOCATIONE *ironiæ in oratione. Cap. 9.*

QVAMVIS ironia multis in locis collocetur: nec de ea certi quidpiam dari posſit: tamẽ illud videtur præcipiẽdum,vt antè quàm ironia vtamur, pro virili ostendamus, rem, in quam dissimulatio detorquetur, aut ridiculã, aut inutilem esse, aut aliquo modo fractam, & abiectam.Quod vbi fuerit ostensum,ironia cõmodissimè sequetur. Sic Cicero fecit contra Catilinam.Primò eos,qui cum Catilina conspirauerant,molles,& effæminatos ostẽdit: quos vbi delicatos depinxit: irrupit in nobilem illã, & præclaram ironiam. O bellum magnopere pertimescendum,cùm hanc sit habiturus Catilina

tilina ſcortatorum cohortem prætoriam. Inſtruite nunc Quirites cõtra has tam præclaras Catilinæ copias veſtra præſidia,veſtroſq; exercitus. Solent ironiæ notari à Poëtis Comicis nomine lepidi : vt Terent.O lepidum caput,de inuenuſto.AbHeroicis,nomine egregij,vt Vergil.AEn.4.Egregiam verò laudem de ignomia: ab Oratoribus nomine ſancti,& præclari:vt Cicer.in Verr.Prætor vir ſanctus,de impio: & Phil lip.2.præclarum cuſtodem ouium lupum.Credendi etiam verbum frequens eſt in ironia : vt Cic.in Clodium.Integritas tua (mihi crede) te purgauit,&c. Adhibentur etiam illæ coniunctiones,ſcilicet,videlicet, ita ſanè, quaſi verò. Terent. in Andr. Id populus curat ſcilicet, de non curantia,&c. Vſus ironiæ frequentiſsimus eſt in apologis,in reſpondendo, in iocis, & facetijs. Antiphraſis eſt ſpecies ironiæ cùm nomen ſit contrarium rei : vt Lucij fides, de eo, qui nulli creditori fidẽ ſeruat. Mimeſis quoq; ironiæ cognata eſt,quãdo alterius geſtum, ſeu verba imitamur. Quòd ferè improbantes, & deridentes facimus: vt Terentianus ille Phedria in Eunucho fecit, dum Thaidem corripit his verbis. At ego neſciebam, quorſum tu ires : paruula hinc eſt abrepta, eduxit mater pro ſua, &c. Hic tropus ironia pertinet ad iuſsiones, & miſsiones, quò maiorem vim

habeant prohibendi. &c.

DE METAPHORA TERTIO *tropi genere. Cap. 10.*

TERTIVM tropi genus est metaphora ex simili simile significans. Latini translationẽ appellant: vt lumen in sole proprium est, inde per translationem, & similitudinem lumen ingenij dicimus. Metaphoræ ex tot rebus sumi possunt, quot sunt genera naturæ: quia nullius rei vocabulum est proprium, quod non possit certa aliqua ratione in alienum locum deduci. Quare stultum videretur, velle nos certa metaphoræ genera persequi, cùm ex innumeris rebus similitudo possit duci. Igitur cùm metaphora tam latè pateat: nulla ponemus eius genera: sed quàm se se eius vis explicet, exẽplis omnium rerum illustremus. Ac primum, quæ in rebus diuinis propria sunt, interdum hanc accipiunt elegantiam, cùm ad homines transferuntur: Sic Cicero pro Sestio. P. ille Lẽtulus, cuius ego patrem, Deum, ac parentem statuo fortunæ, nominisq; mei: Deum, ac parentem vocat, metaphora sumpta à Deo ipso. Ducitur etiam metaphora ex elementis: ex igne, Cic. Tusc. 3. Natura nobis paruos igniculos dedit, id est, ingenia. Et Tusc. 1. Omnes incenduntur ad studia gloria. Ex aëre. Vergil. lib. 4. AEn.

Con-

Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat.
Ex aquis.Cic.pro Marcello, flumen ingenij dixit. Ex terræ attributis : vt animalia bruta dicimus,id est,tarda , & stolida : cùm tamē terra dicatur bruta, idest, sine sensu,& quasi obruta. Ex stirpibus.Cic.Philip.4. Virtus est vna altissimis defixa radicibus , quæ nunquam vi labefactari potest.& Philip.2.Gratia non virtutis spe cie,sed ætatis flore collecta. Ex animalibus. Cic. in bruto. Latrant quidam Oratores, non loquuntur,ex canibus metaphora sumpta est. Ex lupis. Vergil.lib.4.AEn. Penitusq; cauæ plāgoribus ædes fœmineis vlulant. Ex equis.Cic. in Pisonē. Sic ad illius hāc orationem adhinijt, vt non magistrum virtutis : sed auctorem libidinis à se illum inuentum esse arbitraretur. Ex vulpe.Terent. Quid ille gānit? Ex serpentibus. Cic.Philip.1.Cùm serperet in vrbe infinitū malum.Ex auibus, pro Flacco.Homo volitans gloriæ cupiditate.Ex apibus.Pro Sylla. Noli aculeos orationis meæ (qui recōditi sunt) excussos arbitrari. Ex corporis sensibus.Ex visu : vt video pro intelligo:suspicere pro venerari,despicere pro contemnere. Ex olfactu.Cic.2. Agrar.Num quisquam tam abstrusus numus vsquam videtur : quem non architecti huius legis olfecerint? Sic nasuti dicuntur irrisores. Ex gustu. Cic.ad Atticum : homines degustes,

 id est,

id eſt, experiaris. Hinc natum eſt prouerbium. De guſtu cognoſco, id eſt, ex minima experientia. Et deuorare moleſtias, tædium, &c. Ex auditu: vt audire pro obtemperare. Ex tactu: vt ſentire pro intelligere. Ex corporis geſtibus ad animum: vt corrugare frontẽ pro moleſtè ferrè: attollere ſupercilium, id eſt, arrogãtem eſſe. Ex rationali ad irrationale: vt muſicum dicimus luſciniolam, loquacem picã. Ab animali ad non animal: vt prata rident, veſtitur humus, & iratum mare. Quæ metaphoræ duriuſculæ ſunt. Deniq; vt ſummatim omnia complectar: quod eſſet infinitum per ſpecies enumerare: metaphora ex ſingulis rerum generibus ſumi poteſt: quia omnia ferè nomina, quæ propriè rebus ſunt accõmodata, in aliam vicinam ſignificationem, & ſimilem decôris, & elegãtiæ cauſa ſæpe transferuntur.

DE METAPHORIS RECIPROCIS, *& quòd metaphora ſit copiæ, & neceßitatis cauſa. Cap. 11.*

QVAEDAM traslationes ſunt reciprocæ, quas Græci ἀκόλυθας appellant, vt auriga pro gubernatore, & viciſsim gubernator pro auriga. Quædã nõ ſunt cõmunes: ſed vnius partis: nec cõuerti poſſunt: vt vertex ab homine trãsfertur ad montẽ, nõ tamen cacumẽ montis ad hominem. Fit autem metaphora, non ſolum

lum

lum copiæ causa : siquidem (vt ait Quintilianus) præstat, vt nulli rei nomen deesse videatur : verum etiam, ornatus, grauitatis, euidentiæ, sublimitatis, & festiuitatis gratia fit. Et Cicero lib. 3. de Oratore putat metaphoris, tanquam stellis quibusdam orationem illustrari. Adhibetur etiam necessitatis causa: quod Cicero dixit lib. 3. de Oratore, vt gēmare vites. Necessitatem voco, cùm deest verbū, quo res significetur: tunc enim asciscimus quàm maximè aptum, vel vicinū, aut rebus, aut nobis. Sic rustici gēmam vocant in vitibus : vnde Vergil. in eclog. Turgent in palmite vites: Sic etiam agros sitire dicimus, & frumenta luxuriosa, & lætas segetes. Adhibetur etiam metaphora vehementiæ causa, ad maiorem significationem: vt Cic. in Verrem. Ardebāt oculi, & toto ex ore crudelitas emicabat. Ex quibus verbis cogitatio quædam flāmæ, & ardoris ex oculis hominis furiosi exeuntis, sensibus nostris protinus occurrit.

DE CATACHRESI, QVAE EST *duriuscula metaphora.* Cap. 12.

ALIQVANDO metaphora est duriuscula, concessa tamen. Sic Cicero dixit pro Lege Manil. AEdificare classes, & Vergil. lib. 4. AEn.

Instar montis equum diuina Palladis arte
AEdificant.

Cùm

Cùm ædificare propriè de ædibus dicatur. Hāc Rhetores catachresin, id est, abusionē vocāt, nomine quidem rectè: sed quod à metaphora separarunt, indistinctè, & ineleganter: cùm vtrobiq; similitudo sit, & omnis tropus catachresis dici possit: cùm abutimur propria verbi significatione propter aliquam significationem: Sic parricida per catachresin dicitur non qui patrem occidit (quod est propriū) sed qui fratrem, aut quenuis alium. Piscinam quoq; , in qua lauamus, nec sunt pisces, apud Tranquillū inuenies.

DE ALLEGORIA, ET DE AENIgmate. Cap. 13.

METAPHORA interdum multiplicari solet, & tunc allegoria dicitur. Horatius lib. 1 carminum, Ode. 14.

O nauis referent in mare te noui
Fluctus: ô quid agis? fortiter occupa
Portum.

Hîc nauem pro Rep posuit, fluctus pro bellis ciuilibus, & portum pro pace. Estq; optima allegoria. Nec quia metaphora continuetur, & fit allegoria, tropus est distinctus à metaphora: sed metaphora est multiplicata. Allegoria si paulò sit obscurior, ænigma dicitur, id est, scrupus, & rectè quidem: vt mater me genuit, & ipsa rursus gignitur à me. Nix, & aqua intelliguntur,

guntur. Sed est hic obseruandum, non omne ænigma tropum esse: quia aliquando ænigma ex omnibus verbis proprijs fieri potest, sine vlla significationis mutatione: quale est illud Vergilij eclog. 3.

Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo)
Treis pateat cœli spatium non amplius vlnas?

Quare non omne ænigma tropus est, licet tropus in ænigma posit incidere.

DE HYPERBOLE. Cap. 14.

HYPERBOLE, id est, superlatio, & excessus significationis species est metaphoræ: qualis est illa Vergilij lib. 2. AEn. Geminiq; minantur in cœlum scopuli. Hic tropus ad amplificationem pertinet: vt voces ad sidera iactant. Porrò, licet superlatio supra fidem sit, tamen, non debet esse vltra modum. Est superlatio, quam vna lingua recipit, alia respuit: & idcirco, hac in re hominũ mores attendendi sunt. In Cõmentarijs Cæsaris scribitur, eos esse populi Rom. exercitus, qui cœlum ipsum posint perrumpere: Nunc quis hoc dicet, nisi insanus? Illorum etiam est diuinitatẽ ingenij, & carmen plus quàm diuinum, non Christianorum dicere.

Solet hyperbole adhiberi ad rei expresionem, & amplificationem: vt, Ipsi quoq; parietes videntur lætari, vel lugere: Vtimur etiam hyperbo-

perbole minuendi gratia: vt testudine tardior, pluma leuior, vitro fragilior, &c.

DE VITIIS, QVAE IN METAphoris cauenda sunt. Cap. 15.

IN metaphoris cauenda sunt hæc vitia: primum, ne sint sordidæ: vt si dicas, castratam fuisse Remp. morte Africani: Quanuis enim simile sit, cogitatio tamen est deformis similitudinis. Secundum: ne id quod trasfertur, sit dissimile: ut apud Ennium, cœli ingentes fornices. Tertiũ. Ne longè simile sit ductum: ut sco pulũ patrimonij libentius dixerim, quàm Syrtim: Quæ enim visa sunt, facilius; quàm audita, mentis oculis feruntur. Quartum vitium. Ne maior sit translatio, quàm res postulat: vt tem pestas cõmessationis pro lauto conuiuio. Quintum. Ne minor sit: vt verruca pro monte: nisi fortè de industria id facias per hyperbolen. Sextum. Ne dura sit, & insolens metaphora: vt cùm Syssena dixisset apud Ciceronem in Bruto, quædam sputalica esse crimina: tunc. C. Roscius irrisit in aduersario insolentiam, durioris vocabuli.

Nec velim hoc præceptum, vt nouam, & inusitatam metaphoram fugiamus (licet enim nouam fingere, & à proprio loco in alienum trásferre) Sed cùm hoc acciderit, videndum est, nè simili-

ſimilitudo ſit aliena. Erit autem aliena, quæ nec tempori, nec loco, nec perſonæ conueniat. Ariſtoteles lib. 3. Rhet. ad Theodectē in primis eã metaphoram laudat: quæ claritate ſignificationis ferit oculos: vt lumen Deus accendit in animo: ambo enim repreſentant aliquid. Et c. 11. eam metaphorã ſuauiſsimam putat, quæ energiam, id eſt, actionem quãdam præ ſe fert: vt Græci irruentes pedibus: & actio eſt, & metaphora: quia celeritatem ſignificat. Maximè autem metaphora delectat, cùm rebus inanimatis, ac ſi eſſent animatæ, motum, & ſenſum damus. Vnde ſunt illa Ariſtotelis Homerica: per campum voluebatur lapis petulãs, & haſta volabat. Quod ſi quis ſcire velit, qua ratione iucunda ſit metaphora: intelliget ex argumento à ſimilitudine: quæ ſolum ratione loquẽdi à metaphora differt: vt Achilles leo irruit, metaphora eſt, ſi verò dicas, irruit vt leo, ſimilitudo eſt. Quin etiam, metaphora ad ſimilitudinem, & parabolam reuocari poteſt, vt ingenium noſtrum à Cicerone vocatur igniculus: quæ metaphora reducitur ad hanc ſimilitudinem. Vt ignis, quò vehementius agitatur, eò magis ſuã vim exerit: ſic ingenium noſtrum, quò magis ex colitur, eò mirabilius apparet. Quod ſi quid in fingenda metaphora duriuſculè dictum videatur, præmunitione quadam molliendum erit

erit, velut, quaſi ita dicam, vt iam quidam loquuntur, liceat ſanè ſic dicere: vt quem Deum (vt ita dicam) inter homines putant.

DE VSV, ET COLLOCATIONE *metaphoræ. Cap. 16.*

QVANVIS translatio per totam orationẽ diffundi poſsit: in tribus tamen locis poni debet: primò, vbi rem clariorem facere conabimur. Qualia ſunt illa Ciceronis de tempeſtate. Inhorreſcit mare, tenebræ conduplicantur, noctiſq;, & nimborum occæcat nigror: flãma inter nubes coruſcat, cœlum tonitru cõtremit, grando mixta imbri largifluo ſubitò præcipitans cadit. Vndiq; omnes venti erumpunt: ſæui exiſtũt turbines, feruet æſtu pelagus: Hæc tempeſtas multò clarior translatis verbis deſcripta eſt. Secundo loco, cùm rem obſcurare volumus: in quo ſæpe ænigmata reperiuntur: vt cùm breuitatẽ conſectamur: quale eſt illud. Telum manu fugit: nam imprudentia emiſsi teli non potuit proprijs verbis breuius exprimi, quàm eſt vno translato ſignificata. Tertio ad recreandos auditorum animos: in quẽ allegoriæ ſolent incidere: habetq; multum luminis oratio. Qualis eſt illa Ciceronis in Piſonẽ. Neq; tam timidus fui, vt qui in maximis turbinibus, ac fluctibus Reip. nauem gubernaſſem, ſal-

ſaluamq; in portu collocaſſem, frontis tuæ nubeculam, tum collegæ tui contaminatum ſpiritum pertimeſcerem. Alios ego vidi vẽtos, alias proſpexi animo tempeſtates, alijs impedentibus procellis non ceſsi, &c. His continuatis translationibus auditorum animi cogitatione eius rei, vnde ſumpta eſt metaphora, maximè recreantur. Habet hic tropus metaphora propter tacitam ſimilitudinẽ (quam ſecum affert) aliquid grauitatis, ſi cum prudentia coniungatur: adeò vt ſenes, qui multùm eo vtuntur, reliquis omnibus putentur ſapientiores. Atq; hæc dicta ſufficiant de metaphoris: iam de ſynecdoche dicendum eſt.

DE SYNECDOCHE TROPI *quarto genere.* Cap. 17.

SYNECDOCHE, quartum, & vltimum tropi genus eſt, cùm ex parte totum, aut vice verſa ex toto pars ſignificatur. Cùm partẽ, & totum dico, genus, & ſpeciem quoq; intelligi volo. Ex parte ergo totum duobus modis intelligitur: prior eſt, cùm membrum pro re integra ponitur: vt tectum pro domo: alter, cũ ex ſpecie genus ſignificatur: vt Curius pro homine frugi. Hi duo modi quanquam Poëtici ſunt: tamen aliquando apud Oratores inueniuntur. Vnde Cic. Philip. 2. dixit. O tecta ipſa

N miſera,

misera, quàm à dispari domino (quanquam quomodo iste dominus) sed tamē, quàm à dispari domino tenebātur. In quo exemplo tecta, id est, partem domus pro tota domo vsurpauit. Secundus modus est in illo versu Iuuenalis.

Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt.

Contrà verò totum pro parte duobus quoq; modis accipitur: nam aut totum integrū pro parte sumitur: vt apud Vergil. AEneid. 1.

Pabula gustassent Troiæ, Xanthumq́; bibissent,

Id est, partem Xanthi fluuij: aut genus pro specie: vt animal pro bestia. Vt Cic. dixit in Pisonē Consulem ego tunc requirebā, non illum, quē in hoc animali inuenire non possem. Sic Poëta apud Græcos pro Homero intelligitur, apud Latinos pro Vergilio. Orator pro Cicerone, &c. quæ nomina sunt generalia, & pro specialibus sumuntur. Quo loco Rhetores antonomasiam faciunt, nomine quidem satis apertè, sed non satis acutè tropum à synecdoche diuersum faciunt. Est enim synecdoche tropus, quo quiddam generale pro speciali ponitur. Hūc etiā alij duo modi referuntur, nempe, cùm vnitas pro multitudine ponitur: aut contrà: Sic apud Liuiū est vsitatissimum, Romanus prælio victor, id est, Romani: & ad Brutum dixit Cicero. Populo imposuimus, & Oratores visi

sumus

ſumus, cùm de ſe tantum loquatur.

Ad extremum illud de ſynecdoche dicẽdum eſt, vt, ſi vel in Oratoribus, vel in Poëtis reperiatur: fiet ad rem obſcurandum, quò minus intelligatur. Nam Alcidẽ ſi dicas, difficilius intelligeris, quàm ſi Herculẽ proferas. Synecdoche tamen illa, quæ eſt numerorum, & antonomaſiæ in rebus grandibus poſita, auget grauitatem: vt illa Ciceronis, populo impoſuimus, &c. & altera eiuſdem. Et nos quoq; floruimus. infelices fuimus.

DE TROPORVM PRAESTANTIA, *deq; eorum octo vſibus, & exercitatione.*

Caput. 18.

ATQVE hæc ſunt omnia genera troporum, quorum præſtantiam ſi quis inter ſe conferat, inueniet, metaphoram ſplendore ſignificationis primas obtinere: ſecũdas ironiam, quæ ſua amaritudine afficit, & pungit: tertias metonymiam, & poſtremas ſynecdochen, quæ neceſsitatis cauſa potius, quàm delectationis quæſita eſſe videtur. At ſi vſum frequentiſsimũ ſpectemus, prima eſt ſynecdoche, quia ſæpiſsimè in oratione occurrit, ſecunda metonymia, tertia metaphora, & poſtrema (quæ rariſsimè occurrit) ironia.

Iam verò troporum omnium octo ſunt vſus:

primus eſt, ad intelligendos auctores, qui frequentius tropis vtuntur: cuiuſmodi ſunt auctores ſacri. Secundus, ad fabulas Poëtarum intelligendas: ab ijs enim fingitur Prometheus in monte Caucaſo ligatus, per metonymiã tertij generis: nam in illo monte Aſtrologiã exercebat, & à Mercurio fingitur ligatus iuſſu Iouis per metonymiam primi generis, id eſt, ab eloquentia, Aquila rodit iecur eius per metaphoram: id eſt, cognitio rerum excelſarum ſollicitat animum Promethei. Tertius troporum vſus eſt, ad intelligendos Pythagoricos numeros, & Platonicas figuras percipiẽdas: ſic Deus à Platone vocatur vnitas per metaphoram: vt enim vnitas numerorũ eſt principium, nec eſt numerus: ſic Deus eſt principium rerum omnium, & eſt ſine principio. Quartus eſt, ad ſymbola intelligenda: vt gloria crocodillus, per metaphoram. Nam vt crocodillus fugit perſequentes, & perſequitur fugientes: ſic gloria, & vera laus. Quintus vſus eſt, ad Hyeroglíphica AEgyptiorum intelligenda: vt imago ſerpentis ſuam rodentis caudam, ſignificat annum ad ſuum principium reuolui, per metaphoram. Sextus eſt, ad ænigmata penetranda: vt homo in ſella ſedens ſine manibus admonet per metonymiam primi generis iudicem nec minis, terreri, nec muneribus debere corrũpi. Septimus

mus ad adagia intelligēdā. Vt homo bulla: per metaphoram: nam, vt bullæ in aquis citò oriūtur, & occidūt: ſic vita hominis breuiſsima eſt. Octauus deniq; troporum vſus eſt ad apothegmata interpretanda: vt Braſidas à milite interrogatus, quomodo vulnus accepiſſet? reſpōdit, prodente me ſcuto, metaphora ſumpta eſt à proditoribus.

Præter hos octo vſus troporum, ſunt eorum quatuor exercitationes: prima inquirere tropos in auctoribus: ſecunda tropos facere: tertia, aliquem ex octo poſitis vſibus in ſcriptis alienis quærere: & quarta vſum aliquē ſuo ingenio parere, nouumq; Symbolum conficere.

DE FIGVRA SECVNDO *elocutionis genere. Cap. 19.*

EXPOSITO in tropis primo elocutionis genere, deinceps de figura ſecūdo loco diſputādum eſt, ſit igitur figura elocutio, qua oratio à populari loquendi, & ſentiendi conſuetudine mutatur. Vt enim dictionum alia eſt propria, alia modificata: ſic orationum alia eſt recta, alia figurata: illam Græci ἀσχημάτιστον: hāc ἐσχηματισμένην vocant. Item figurā σχῆμα, id eſt, habitum & geſtum quendam orationis à communi, & primum ſeſe offerente ratione remotum, & immutatum dicunt. Non quòd vulgus

nunquam his Rhetoricis ornamentis vtatur: Sed quòd huiusmodi orationis lumina rarius eniteant in hominum imperitorum sermone populari.

Differt autem figura à tropo: quòd tropus est in vno verbo: figura verò in pluribus, id est, in ipsa oratione. Itemq; tropus non fit verbis proprijs: figura verò proprijs verbis fieri potest.

DE DIVISIONE FIGVRARUM, & quid sit figura lexeos. Cap. 20.

FIGVRARVM genera duo sunt, vnū λέξεως, id est, dictionis: alterum διανοίας, id est, mētis, & sententiæ. De primo, quòd & simplicius, & natura prius est, nunc disputemus.

Figura lexeos, id est, dictionis, & orationis, est apta, & suauis dictionum conformatio, quæ cùm delectatione percipitur. Vel (vt ait auctor ad Herēnium lib. 4.) est orationis exornatio, quæ ipsius sermonis insignita perpolitione cōtinetur. Differt à figura dianias, id est, mentis: quòd in figura lexeos, si verba mutes, non remanet idem ornatus orationis: At in figura dianias etiam si verba mutes, nihilominus idē ornatus orationis manet: vt ait Cic. lib. 3. de Oratore.

DE DIVISIONE FIGVRAE LEXEOS, deq; repetitione simili, & dissimili. Cap. 21.

SVNT

SVNT autem figuræ lexeos duo genera repetitio,& commutatio. Repetitio est figura in iteratione eiusdem verbi: vbi tamen nihil interest,an vnum verbũ iteretur,an plura,quia vtrobiq; eadem sunt artis præcepta.

Repetitio facilioris doctrinæ gratia,sic diuidi potest: vt quædam sit similis, & eodem sententiæ loco,vel primo,vel medio,vel extremo: quædam verò dissimilis,& non eodem sententiæ loco. Repetitio similis est, cùm idem verbum eodem sententiæ loco repetitur sine vlla cõmutatione vel ordinis,vel casus, vel significationis. Cuius genera sunt quatuor epizeuxis, anaphora,epistrophe,& symploce.

DE EPIZEVXI. Cap.22.

EPIZEVXIS est eiusdem verbi repetitio in eadem sententiæ parte. Vel (vt alij Rhetores definiunt) est verbi geminatio citra moram,cùm impetu pronuntiationis, ac maioris vehementiæ causa. Hæc repetitio fit duobus modis: vno, si coniuncta sit eiusdem verbi repetitio nullo alio verbo interiecto: vt Cic. in Catil.1.Hic tamen viuit,viuit? imo in Senatum venit,& Act.7.in Verrem.Crux,crux, inquam, infelici,& misero. Et Vergil.lib.9.AEn.Me me, adsum qui feci, &c. altero modo fit hæc verbi repetitio,si geminatio fit disiuncta vno,vel pluribus verbis,seu parẽthesi interposita.Vt Cic.1

in Catil.viuis,& viuis,non ad deponendam,sed ad cõfirmandã audaciam. Et pro M.Marcello. At verò eius gloriæ,quam es paulò antè adeptus,socium habes neminem.Totum hoc quantumcunq; est (quod certè maximum est) totũ est,inquã,tuum.Aliquando figura hæc effertur per ironiam,ad eleuãdum: ut ò bone bone vir, quàm probè te gesseris.

DE ANAPHORA, AC DE eius diuisione. Cap. 23.

ANAPHORA est eiusdem verbi repetitio: Quæ tripliciter distingui potest : Nam aut est in principijs incisorum, aut membrorum, aut periodorum. In principijs incisorũ est illa Cic.in Catil.1. Nihilne te nocturnum præsidiũ palatij? nihil vrbis vigiliæ? nihil timor populi? nihil concursus bonorum ciuium? nihil hic munitissimus habendi Senatus locus?nihil horum ora,vultusq; mouerunt? et pro Quintio. Quid hæc amentia?quid hæc festinatio?quid hæc maturitas tanta significat? In principijs membrorum orationis idem iteratur verbum Philip. 2. Accusa Senatum:accusa Equestrem ordinẽ:qui cum Senatu copulatus fuit: accusa omnes ordines. Et in Verrẽ. Verres calumniatores opponebat: Verres adesse iubebat: Verres cognoscebat: Verres pronunciabat. In principijs perio-

periodorũ etiam eſt eiuſdem verbi repetitio. Cic. pro Sexto Roſcio. Accuſant ij, qui in fortunas huius inuaſerunt: cauſam dicit is, cui nihil præter calamitatem reliquerunt. Accuſant ij, quibus occidi patrẽ Sex. Roſcij bono fuit: cauſam dicit is, qui etiam ad hoc iudicium cũ præſidio venit: ne hîc ibidem ante oculos veſtros trucidaretur. Deniq;, Accuſant ij, quos populus poſcit: cauſam dicit is, qui vnus relictus ex nefaria illorum cæde reſtat, &c.

In anaphora nihil intereſt an idem verbum iteratum fuerit: an verò diuerſum idem ſonãs. Vt in Agraria Cic. 2. Tantám ne vexari Remp? contemni maieſtatẽ populi Rom? deludi noſmetipſos diutius à Tribunis plebis patiemeni?

Valet plurimum anaphora ad obiurgandũ, & ad diſsimilitudinem tractandam: Ea verò à grauibus viris appellatur alijs nominibus, nempe, epibole, pariſoſis, epanaphora, &c.

DE FIGVRIS EPISTROPHE, *& ſymploce.* Cap. 24.

EPISTROPHE, id eſt, conuerſio, eſt repetitio ſimilis, qua idem verbum ſæpius in extremis finibus iteratur. Cic. in Vatinium. Atq; illud à te ſcire cupio, quare cùm ego legem de ambitu tulerim, ſine vi tulerim? ex Senatuscõſulto tulerim? ſaluis auſpicijs tulerim? Et pro

Fonteio. Frumēti maximus numerus è Gallia: peditatus amplissimæ copiæ è Gallia: equites numero plurimi è Gallia: & Vergil.eclog.8.

Debent hæc pignora Daphnin.

Ducite ab vrbe domum mea carmina, ducite Daphnin.

Vocatur etiam hæc figura andistrophe, & epiphora.

Symploce, siue complicatio (quæ & epanastrophe, & cenotes ab alijs dicitur (composita est ex anaphora, & epistrophe: quia ab initijs idem verbum repetit, vt anaphora, & in extremis etiam sæpius iterat aliquid, vt epistrophe: Cic.pro Milone. Quis eos postulauit? Appius. Quis produxit? Appius. Et Agraria.2. Quis legem tulit? Rullus. Quis maiorem populi partē suffragijs priuauit? Rullus. Quis Comitijs præfuit? idem Rullus. His igitur modis repetitio verbi similis est, cùm vel in principijs, vel in extremis, vel in vtrisq; versatur.

DE REPETITIONE DISSIMILI, *& de figura epanodo. Cap. 25.*

REPETITIO dissimilis est, cùm idē verbū non eodem sententiæ loco repetitur: Cuius genera sunt tria, videlicet, epanodos, epanalepsis, & anadiplosis. Epanodos latinè dicitur regressio: cùm idē verbū in principio & medio, vel in medio & fine resonat. Cic.pro Planco. Gratiam qui refert, habet, & qui habet, in eo quòd

quòd habet, refert. Et pro Cecinna. Quia res indigna ſit, ideo turpem exiſtimationē ſequi: & quia turpis exiſtimatio ſequatur, ideo rē indignam non iudicari. Delectat hæc figura & ordinis mutatione, & ſimilitudinis gratia. In Poëtis eſt rarior, propter anguſtas leges carminis: incidit tamen aliquando Vergil. Ecloga. 8.

Crudelis mater magis, an puer improbus ille?

Improbus ille puer: crudelis tu quoq; mater.

Huiuſmodi ſunt illa concinnitatis ornamenta lib. 4. ad Herenium. Eſſe oportet vt viuas, non viuere, vt edas. Et Cic. in Bruto. Craſſus erat elegantium parciſsimus: Scæuola parcorū elegantiſsimus. In quibus ineſt mira quædam feſtiuitas, & ſuauitas: quæ facilius auribus diiudicari, quàm verbis demonſtrari poteſt. Huic finitima eſt ploca, id eſt, verborū traductio: cùm idem verbum, aut ſententia ad conſumationē ſuperioris retorquetur. Cic. pro Cluentio. Vt ſine inuidia culpa plectatur, & ſine culpa inuidia ponatur. Cui ſimile etiam eſt, ſi dicas: Eſt hic vir inter Chriſtianos Ethnicus, & Chriſtianus inter Ethnicos. Hac figura ſentētiæ graues tractantur, ænigmata, adagia, reſponſa acuta, carmina ingenioſa, & ſymbola.

DE FIGVRIS EPANALEPSI, ET *anadiploſi.* Cap. 26.

EPA-

EPANALEPSIS est eiusdem verbi repetitio in principio,& fine. Ideoq; loco dissimili verbum repetit.Cicero in Verr. Multi, & graues dolores inuenti : parentibus, & propinquis multi.Et Vergil. AEn.1.

Multa super Priamo rogitans,super Hectore multa.

Nec refert,an verbum vnum,an multa hoc modo repetantur : nec an in vno versu,an in pluribus : Martialis lib. 3.

Phosphore redde diem,quid gaudia nostra moraris.
Cæsare venturo,Phosphore redde diem.

Ornat hæc figura Poësin,& valet multũ ad obiurgandum. Anadiplosis est eiusdem verbi repetitio in fine præcedendis, & initio sequentis sententiæ : quæ frequentius accidit in versu, quàm in prosa Vergil.ecloga.10.

Pierides:vos hæc facietis maxima Gallo:
Gallo,cuius amor tantum mihi crescit in horas,
Quantum vere nouo viridis se subijcit alnus.

Et Cicero. Magna spes est Reip.posita in iuuẽtute:in iuuẽtute,inquã,illa,quæ à cunabulis ipsis tũ moribus,tũ literis instituitur. Hæ duæ figuræ epanalepsis,& anadiplosis adhibentur elegãtissimè ad animi libertatẽ exprimendam, & vehementem perturbationis contentionem.

DE SECVNDO GENERE
figuræ lexeos,id est,de commutatione ordinis,vel casus,vel significationis. Cap. 27.

SE-

SECVNDVM figuræ genus in verbo, est cõmutatio vel ordinis, vel casus, vel significationis. Et primò Climax figura, id est, gradatio, est cõmutatio ordinis: cùm oratio ita procedit, vt antecedens sequenti loco repetatur, priusquam proximũ assumatur. Cic. pro Quint. Si debuisset, petijsses statim: si nõ statim, paulò equidem post: si non paulò post, at aliquando. Et pro Rof. Amerino. Ex vrbe luxuries creatur: ex luxuria existat auaritia necesse est: ex auaritia erumpat audacia.

Secundum genus cõmutationis casibus efficitur: Sed casus hîc non ita arctè intelligi volumus, vt Grãmatici definiunt: Sed quẽuis exitum, quo verbum definit. Polyptoton Græci vocant, Latini traductionem: qua Grãmatici etiam casus variantur. Cic. de Respons. Homines te propter pecuniã iudicio liberarunt: Hominibus iniuria tui stupri dolori non fuit. Homines tibi arma, alij in me, alij post illum inuictum ciuem dederunt. Hominũ beneficia prorsus tibi concedo. Et pro Cælio. Ipsius veneni quæ ratio fingitur? vbi quæsitum est? quemadmodum paratum? Contingit hæc figura tribus modis: nam aut casus Grammatici mutantur: vt in exemplis positis: aut mutatur genus: vt Cicer. Act. 7. in Verr. Certus locus, certa lex, certum tribunal, quo hoc reseruetur. Aut mutatur

tatur modus,& tempus:vt de verbis Grammatici loquuntur.Vergil.ecloga.5.

Phyllis amat corylos,illas dum Phyllis amabit,&c.

DE TERTIO GENERE COMmutationis. Cap. 28.

TERTIVM genus cõmutationis reliquum est, in quo significationis commutatio consideratur.Et eius duæ sunt partes, scilicet, annominatio,& correctio. Annominatio Græcè dicitur paronomasia, cùm in verbum simile mutatio fit.Cic.Philip.8.Ex aratore Orator factus est.Fit multis modis hæc figura. Nam aut voces primis syllabis inter se consonant,vt corripio, corrumpo.Cic. Act.2. in Verr. Nam vt apertus fuit in corripiendis pecunijs: sic in spe corrumpendi iudicij: Aut voces medijs syllabis sunt similes.Vt arator, Orator : aut principijs,& medijs.Cic.pro Quint.Qui ab adolescẽtulo quæstũ sibi instituisset sine impẽdio:postea nescio quid impendit.Aut extremis tantum:vt flãma,fama:aut medijs,& extremis Cic. in Catil.Vt non emissus ex vrbe : sed immissus in vrbem videretur.Aut deniq; principijs,& extremis voces similes sunt.Cic.de Resp.non modò vincere,verum etiam vincire oporteret.

Adhibetur hæc figura ad iocãdũ:vt illa Cic.2. de Oratore. Cùm quidam dixisset, eamus deambu-

ambulatum,& alius dixiſſet,quid opus fuit de? imo verò (inquit ille) quid opus fuit te?& Martialis. lib.1.

Litigat,& podagra Diodorus Flacce laborat:
Sed nil patrono porrigit: hæc chiragra eſt.

DE CORRECTIONE. Cap. 29.

CORRECTIO (quæ Græcè dicitur epanorthoſis) eſt verbi vnius mutatio in aliud melius pro noſtro inſtituto ſiue in meliorem, ſiue in deteriorem partem. Fit hæc figura duobus modis: aut enim verbum aliud pro correcto verbo adhibetur. Cic. pro Ligar. Ceſsit auctoritati ampliſsimi viri, vel potius paruit. Aut verbum corrigitur nullo alio verbo ſubiecto, & in eius locū repoſito. Cic. pro Muræna. Atq; hæc ciues, ciues, inquam, (ſi hoc nomine appellare eos fas eſt) de ſua patria cogitant. Figura hæc, ſi antequam efferatur, corrigatur, dicetur, prodiorthoſis; vt eſt illa Terentij in Andria. Dehinc poſtulo, ſiue æquum eſt, te oro, Daue. Si verò fiat, cùm iā effatum verbum eſt: dicetur epanorthoſis: vt ſuperiores: & illa Terentij in Heaut. Filiū vnicum adoleſcentem habeo: ah, quid dixi habere me? Imo habui, Chreme. In correctione eſt ſubſtitutio maioris, minoris, paris, & diuerſi. Huius figuræ magnus eſt vſus in irriſione, & in modeſtia animi declaranda.

DE FIGVRA DIANIAS. Cap. 30.

HA-

HACTENVS de verborum figuris: iam de sententiarum figuris à nobis disputandum est. Ac primum, figura dianias, id est, mentis, & sententiæ, est quædam conformatio sententiæ, quæ in orationis comprehensione cernitur: & idcirco mutatis verbis, aut transpositis omnino retineri potest, idéq; ornatus manet: Quod non fit in figura lexeos, in qua mutatur: si verba aut transponantur, aut mutentur.

Figuræ dianias quatuor genera quodāmodo distingui possunt. Primū in petitione, aut responsione versatur, Secūdum in fictione, Tertiū in abruptione: & Quartum in amplificatione. Non quòd ista ex se figuræ sint: sed quòd in his quædam figurarum inter ipsas cōmunio comprehensa sit.

DE FIGVRA PETITIONIS, *deq; interrogatione simplici, & figurata.*

Caput. 31.

FIGVRA petitionis est oratio, qua quid agendum, dicendúm ve sit, velut alios consulentes, interrogamus. Ac ne quis putet, quāuis interrogationem esse figuratam: sciendum est, duo esse interrogationis genera: simplex vnū, figuratum alterum. Simplex voco illud, quo discendi gratia cum spiritu interrogationis quidpiam sciscitamur. Figuratum verò, quo aliquid

affectus

affectus gratia interrogamus. Affectus quibus interrogatio seruit, multi sunt, nimirum asseueratio, vt, Nónne ita est? miseratio: vt, Quare natus sum? instantia, vt Quid agebas? indignatio, vt, Quis virtutem colit? Admiratio, vt Quid nō mortalia pectora cogis auri sacra fames? Dubitatio: vt, Quid dicam? has figuras Græci vocāt interrogationes: et sub hac figura petitionis comprehenduntur. Primum itaq; genus est in petitione, aut responsione, aut in vtrisq; positū. Quod multò melius per species intelligetur, quàm generatim exponi possit.

DE DIVISIONE SIMPLICIS petitionis, & de addubitatione. Caput. 32.

SINT igitur simplicis petitionis quatuor genera, addubitatio, communicatio, optatio, & deprecatio.

Addubitatio, quæ dicitur Græcè ἀπορία, & διαπόρησις, præ se fert solliciti hominis, & interrogantis affectū: ideoq; est in interrogatione: quia addubitando quærimus aliquid, & rogamus. Cic. pro Roscio Amer. Quid primum quærar? aut vnde potissimum ordiar? aut quod? aut à quibus auxilium petam? Deorúm ne immortalium? vestrám ne, qui summam potestatem habetis, hoc tempore fidem implorem? Et

Act.7.in Verr. Quid agam Iud? quò accusationis meæ rationem conferam? Quò me vertam? Figura hæc multũ vigoris addit orationi: quia eadem sentẽtia per dubitationem prolata: mouet multò magis: quàm simpliciter enuntiata, si suo loco, & tempore adhibeatur: Alioquin, potius oberit. Erit autem opportunitas: cùm res omnino perspicua est: vel auditores argumentis conuicti sunt. Vnde fit, vt exordijs orationis congruat in re aperta, & perspicua: & vt animi modestia significetur, & vt auctoritate apud alios valeamus. Nam qui de rebus dubitant: quia diligentes videntur esse, magnam habent auctoritatẽ. In epilogis verò cùm res est demonstrata, prodest multum.

Paradoxum, id est, inopinatum refertur ad hanc figuram: quod est congruum orationis initio: vt si quis ita exordiatur. Quis vnquam opinari, aut suspicari potuit, tam vehementes tenebras animis hominum insevisse: vt virtutẽ præ timore contemnerent?

DE COMMVNICATIONE.

Caput. 33.

COMMVNICATIO, Græcè ἀνακοίνωσις, est cum alijs quædam consultatio: et discrepat à superiore: quia illic apud nosmetipsos dubitamus, & quasi nobiscum agimus: hic verò cum

cum alijs rationem inimus. Cic. pro Rabirio. Tu deniq; Labiene,quid faceres in tali re, ac tẽpore,cùm ignauiæ ratio te in fugam,atq; in latebras impelleret? Hæc figura ideo est in interrogatione,quia cõmunicando quærimus,& interrogamus.Interdum cõmunicationi coniuncta est responsio, & expeditio propositæ dubitationis.Cic.pro Quint.Quæro abs te, C.Aquili,L.Luculle, P.Quintili, M.Marcelle, vadimonium mihi non obijt quidam socius, & affinis meus,qui cum mihi necessitudo vetus, controuersia de re pecuniaria recens intercedit, postulóne à Prætore,vt eius bona mihi possidere liceat?An cùm Romæ domus eius, vxor, liberi sint,domum potius denuntiem?Quid est,quod hac tandem de re vobis possit videri?Profectò si rectè vestram bonitatem, atq; prudentiam cognoui: non multum me fallit (si consulamini) quid sitis responsuri: Primum expectare, deinde,si latitare, ac diutiùs ludificare videatur,amicos conuenire, &c. Habet figura hæc grande quiddam,& vehemens in accusando,& reprehendendo: quale est illud Cic. in Catil. 1. Quo vsq; tandem Catilina abutêre patientia nostra?

DE OPTATIONE, ET *deprecatione. Cap.* 34.

OPTATIO est voti significatio, quod est accipiendum cum affectu. Est enim optatio simplex, & figurata: simplex sine affectu, nec est figura. Figurata vehementem indicat affectũ. Cic. pro Muræna. Dij faxint, vt meus collega vir fortissimus hoc Catilinæ nefarium latrocinium armatus oprimat. Et Philip. 2. Vtinam aliquando dolor populi Rom. pariat, quod iã diu parturit.

Optatio valet multum in exordijs, & ad fauorem animi, gratiamq́; significandam: & ad docendam singularem alicuius laudem. Referũtur ad hanc figuram imprecatio primùm: cùm malũ aliquod alteri imprecamur, & optamus. Vergil. AEn. 2.

At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis,
Dij, &c. persoluant grates dignas.

Deinde salutatio, quæ verbis testatur quãdam beneuolentiam. Vergil. AEn. 7.

Salue fatis mihi debita tellus.

Deprecatio Græcè δέησις, etiam in simplici petitione consideratur: cùm potestas, aut numẽ, aut cuiusq; auxilium imploratur: Sic Oratores, & Poetæ solent deos, & homines in rebus magnis inuocare. Cic. pro Rabir. perduel. Ab Ioue opt. Max. cæterisq; dijs immortalibus pacem, & veniam peto. Poëtæ quoq; in principijs suorum operum inuocant, & implorant diui-

num aliquod numē. Vergil. 1. AEn.

Musa mihi causas memora, &c.

Homines etiam deprecamur, cùm auxilium, aut veniam, aut aliquid aliud ab illis petimus, seu cōmēdamus alios. Cic. pro Rabir. Vos Quirites (quorū potestas proximè accedit ad deorum immortalium numen) oro, atq; obsecro. Neq; solum deprecatio refertur ad deos, & homines, sed etiā ad res alias: vt ad Philosophiā: Cic. Tusc. 5. Ad te confugimus, à te auxilium petimus, &c. Et pro Milone. Vos enim Albani tumuli, atq; luci, vos inquam, imploro, atq; obtestor. &c.

Deprecatio numinis in exordio, aut certè antè cōfirmationem, siue causam adhiberi debet. In ipsa verò confirmatione minus eleganter collocabitur, nisi eiusmodi res incideret, quę Dei opem, & auxilium postularet. Tunc enim licebit semel, atq; iterum inuocare, & auxilium à Deo præcari. In peroratione potest aliquando poni: quod Cic. fecit in Verrē: vbi tamen non tam est præcatio, quàm auersio, vel conuersio efficacissima ad mouendum. Poëtæ Heroici initio operis à Musarum inuocatione ordiuntur, & deinceps etiam inuocant, quoties digna iudice Deo res incidit.

DE FIGVRIS QVAE EX SIMplici responsione constant. Cap. 35.

HACTENVS simplicis petitionis quatuor genera tractata sunt: Deinceps duo sequũtur, quæ ex simplici responsione constant, videlicet, permisſio, & cõcesſio. Permisſio est cùm alicuius facti licentia datur. Cic. in Vatin. Licet impunè per me parietes in adolescentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris: habeat hoc præmium indignitas tua, vt adolescentiæ turpitudo obscuritate, & sordibus tuis obtegatur. In hoc genere sæpe ornatus ex ironia petitur: quia contrarium eius, quod permittimus, intelligi, & fieri volumus. Vnde apud Vergil. Dido AEn. 4. AEneæ dixit.

I. sequere Italiã ventis, pete regna per vndas: neq; enim volebat AEneã discedere: sed hac ironica permisſione sperabat pótius illũ retinere. Et Cic. pro Flacco. Litemus igitur Lentulo, parẽtemus Cethego, reuocemus eiectos, nimiæ pietatis, & summi amoris in patriam, vicisſim nos pœnas (si ita dijs placeat) sufferamus.

Concesſio videtur esse propositæ rei approbatio: vt sicut permisſio in factis est, ita concesſio fit in dictis. Huius figuræ elegãs est vsus: cùm id quòd conceditur, stat à nobis, & aduersario nocet. Cic. pro Quintio. Verum id tibi concedo, vt ea prætereas, quæ cùm taces, nulla esse concedis. Et pro Ligar. Habes igitur Tubero, quod est accusatori maximè optandum, cõfitentem

ficentem reum, ſed tamen hoc ita confitentẽ, ſe in ea parte fuiſſe, qua te Tubero, qua virum omni laude dignum patrem tuum. Itaq; prius de veſtro delicto cõfiteamini neceſſe eſt: quàm Ligarij vllam culpam reprehendatis. Valet cõceſsio ad grauem reprehenſionem, & ad ſecuritatem aduerſarij comparandam. Quidam referunt ad hanc figuram paradiaſtolin, id eſt, dilatationem: cùm videlicet, ciuili interpretatione vitijs blandimur virtutis quadam nuncupatione: vt ſi auarum frugalem dicas, temerariũ fortem. Perfecta autem erit hæc figura, ſi inter virtutem, & vitium nonnihil diſtinguas: vt ſi dicas. Liberalis quidem eſt, quanquam moderata eſt liberalitas, non prodigalitas.

DE FIGVRA IN PETITIONE, *& reſponſione ſimul.* Cap. 36.

EXPOSITIS figurarum quatuor generibus in petitione, & duobus in reſponſione: tranſeundum eſt ad illud, quod ſimul in petitione, & reſponſione verſatur: quod aliàs prolepſis, aliàs ſubiectio vocatur. Et quanquam prius nomen ex petitione, poſterius ex reſponſione ſumptum videtur: liceat tamen nunc doctrinæ gratia, vtrumq; promiſcuè, & indifferẽter vſurpate. Eſt igitur prolepſis occupatio, ſeu præoccupatio, cũ aliqua quæſtio occupatur, eiq; protinus

tinus responsio subiecta redditur: vt si quæ ab alijs obijci poterat, ipsi proponamus: vel quæ nostris argumentis reddi possunt, nos vrgeamus. Est autem prolepsis duplex, vna obiectionis, & altera depulsionis. Obiectionis est, cùm obiectionibus aduersarij respondemus: vt si quis modestos, & moderatos viros culpet, quòd occasionẽ ruinæ impijs præbeant: ea nõ est modestorum, sed impiorum culpa. Huius generis exempla sunt in oratione Ciceronis pro Quintio. Vbi obiectiones Hortensij præsumuntur, & ratione dissoluuntur. Spectatur hæc figura in principijs orationum: vt, Cic. pro Sestio. Credo ego vos mirari, Iud. quid sit, quòd cùm tot summi Oratores, hominesq; nobilissimi sedeāt, ego potissimũ surrexerim, qui neq; ætate, neq; ingenio, neq; auctoritate sim cũ ijs, qui sedeant, comparãdus, &c. Fit etiam in alijs orationis partibus, & maximè in confirmatione. Cic. pro Lege Manil. Requiretur fortasse nunc, quemadmodum (cùm hæc ita sint) reliquum possit esse magnum bellum, &c. Prolepsis depulsionis est, cùm aliorum obiectiones confutamus nostra argumenta reparantes: vt: Respõdebis, astrictus sum lege sũmi Dei, sed vires mihi nõ suppetũt: postula igitur ab eo, &c.

Hoc genus prolepseos multum habet vigoris, & gratiæ in oratione, eoq; passim vtitur.

Cic.

Cic. in Actionibus in Verrem. Occupat enim, quod Hortẽsius respondere potuit, & illud infirmat vehementer: vt Actione.7. Noui locum, video vbi se iactaturus sit Hortensius, belli pericula, tempora reip. Imperatorum penuriam cõmemorabit: tum deprecabitur à vobis, &c.

Et quoniam prolepsis ex duabus partibus constat propositione,& solutione: prior his fere vocibus exprimitur. Etsi, quanquam, &c. et posterior his, tamen, verum,& similibus,&c.

Vtemur verò prolepsi, quoties acturi sumus de re parum honesta: aut quando apud auditores in mala sumus opinione: Tunc enim instituti nostri rationẽ, causamq; probemus, & nos purgemus, necesse est. Cicero & in rebus honestis vtitur hoc ornamento, nec vlla fere eius oratio est, in qua non se in exordio vel à leni suspicione defendat. Vtemur etiam hac figura, cùm res iam est probata,& confirmata. Vt si de iustitia dicas: vbi quid sit, eiusq; affectiones, & effecta demonstraueris: ad extremum insignioribus quæstionibus, quæ tibi obijci possunt, respondebis: ad extremum (inquam) cuiusq; membri factæ partitionis: alioquin perturbatio sequeretur. Atq; huius generis occupationes disciplinarum cognitioni lumen afferunt, si rei iam explicatæ subnectantur. Quare prolepsis duobus in locis collocabitur, in

exordio,& in fine cuiusq; rei tractatæ,&c.

DE SVBIECTIONE. Cap. 37.

SVBIECTIO, quæ Græcè ἀντιποφορά vocatur,definitur à quibusdam prompta, & expedita reditio ad id quod obijci potest: qualis est illa. Quid facerem,cùm à tam magna Gallorum multitudine circumsederer? an dimicarē? at cum parua manu tunc prodiremus: locum etiam inimicissimū habebamus: nec erat quo vitam produceremus. Castra reliquerem? at obsidebamur, &c.

HVIVS figuræ modi tres sunt aduertendi: aut enim in alteram solum partem, aut in vtranq;: aut in neutram interrogatio cadit. In alterā solum: vt Cic.Pro Lege Manil. Quid est tam nouum,quàm adolescentulum priuatū difficili reip.tempore exercitum cōficere? cōfecit: huic præesse? præfuit: rem optimè ductu suo gerere? gessit. In vtranq; partē pro Quintio. Mittis iniussu Prætoris,quo consilio? Quid cùm iussisset,tū mittere nō poteras? In neutrā partem. Paradoxo.5. Vocat,veniendū: poscit, dandū: eijcit,abeundum: minatur extimescendū. Et Act.3.Pater dat filiæ,prohibes: leges sinunt,interponis,&c. item. Veniam poscimus à Deo,ignoscit, & indulget: gratiam precamur, confert, &c.

PRI-

DE PROSOPOPOEIA. Cap. 38.

PRIMVM itaq; genus figuræ in comprehensione totius sententiæ sic habet: cùm aut petitionis, aut responsionis, aut vtriusq; species aliqua insignis, & excellens exprimitur: Iam sequitur alterum in fictione positum aut personæ, aut rei. Primum prosopopœia dicitur, secundum præteritio. Prosopopœia est ficta personarum inductio, per quam res cuiuscunq; generis sint, vocem, & sermonē possunt accipere. Est hæc figura grauissima, valetq; plurimum ad mouendum, & ornandum. Et est vel plena, vel imperfecta, & quodammodo muta. Plena prosopopœia dicitur, cùm tota personæ fictio actione nostra representatur: cuius duo sunt genera, vnum continens, concisum alterum. Prosopopœia continens perpetua, & non interrupta sermonis continuatione constat: qualis est illa Ciceronis in Catilinam. Vbi loquentem inducit patriam contra Catilinam: & in Verrem Actio. 6. Siciliam his verbis. Sicilia tota si vna voce loqueretur, hoc diceret. Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis vrbibus, sedibus, delubris fuit: Quod in vnaquaq; re beneficio Senatus, populiq; Rom. iuris habui: id tu mihi C. Verres eripuisti, & abstulisti. Venusta est illa prosopopœia Didûs morientis apud Vergil.

Vergil.lib.4.AEn. cuius exordium est. Dixitq; nouissima verba: Deinde sequitur figura.

Dulces exuuiæ dum fata, deusq; sinebant,
Accipite hanc animam, meq; his exoluite curis:
Vixi, & quem dederat cursum fortuna, peregi.
Et nunc magna mei sub terras ibit imago.
Vrbem præclaram statui, mea mœnia vidi
Vlta virum pœnas inimico à fratre recepi.
Felix, heu nimium felix, si littora tantum
Nunquam Dardaniæ tetigissent nostra carinæ.

Tandem finis prosopopoeiæ vno verbo significatur, Dixit: Sic, & aliæ res loquentes inducuntur: leges apud Platonem in Critone: mors, & vita inter se concertantes apud Ennium in Satyr. Eruditio loquens apud Lucianum: Occasio apud Ausonium: Fortuna apud Horatium, & Iustitia apud Chrisippum. Interdum hæc figura cogitationem tanquam tacitam vocem representat. Cuiusmodi est illa Verris apud Cicer. Actione.7. Occurrebat hæc oratio. Quid Cleomeni fiet? poterône animaduertere in eos, quos dicto audientes esse iussi? missum facere eum, cui imperiũ, potestatemq; permisi?

DE VSV PROSOPOPOEIAE *in laude, suasione, & iudicio.* Cap. 39.

VTEMVR prosopopœia in laudãdo, & suadendo, & obiurgando: idq; vbi in causa argumen

gumẽtorum vires exhauserimus,nihilq́; quod è re nostra sit, intentatũ reliquerimus : ideoq́; in perorãdo habet locum hæc figura. Est enim ad conuincendum efficacissima,rapitq́; in omnem affectum auditores. Seruit laudationi : vt si in laudando Principe, aut ciue de rep. benè merito,ipsam Remp.inducas,quæ ipsis gratias agat. Deliberationi vim magnam addit : vt si pacem suadeas,finges Remp.de bello conquerentem,& pacem postulantem:& sic auditores mouebuntur. Obiurgas Tyrannum Remp.diuexantem,& diripiẽtem : sermonem tribue libertati,& acrius punget oratio : impone personam naturæ, quæ lachrymans , & suspirans natum suum Tyrãnum (est enim natura communis omnium parens) alloquatur, & cum eo expostulet de amissa sibi natorum reliquorum libertate : & sic adamantina duricies auditoris mollescet. Habet enim in ficta persona tantam vim,vt non videatur auditor aliena mala deflẽtes audire:sed sensum, & voces miserorum videre. Verum,quoniam hæc figura est grauissima,nõ solet assumi, nec deponi sine aliquo apparatu:vt est illa præfatio Ciceronis pro Cælio. Exitat igitur ex hac familia aliquis,ac potissimum cæcus ille : mirum enim dolorẽ accipiet, qui istam non videbit. Qui profectò,si extiterit,sic aget,& sic loquetur. Mulier quid tibi cũ

Cælio

Cælio? quid cum homine adoleſcentulo? &c. Deinde ad deponẽdam proſopopœiam quidã breuis apparatus ad extremũ ponitur his verbis. Sed quid ego Iud. ita grauem perſonam induxi? qua concluſione perſonam inductam depoſuit.

DE MVLTIPLICI APPARATV *inducendi, ac deponendi fictas perſonas.* *Caput.* 40.

AD imitationem Ciceronis poſſumus multos alios apparatus inducendi, & deponẽdi perſonas fictas, confingere: vt ſi dicas. Quod ſi patria tua te alloquatur, nón ne ſic erumperet? mox perſonæ fictæ ſermonem ſubijcies: & ad extremum dices. Nimis te tua patria vrget: mitius ego tecum agam. Item. Quod ſi pater tuus vir ſanctiſsimus in vitam reuocaretur, ac te videret filium ſuum, (cuius ſimilis eſſe debe-res) tam diſsimilem, imo contrarium, nón ne ſic acturus fuiſſet? Deinde patris oratio addẽda eſt: & in deponenda, dices: commoueri videtur adoleſcens: vix lachrymas continet: non ita te ſeuerè amplius obiurgabo. Accipe aliud exemplum. Quod ſi oriatur aliquis de maioribus tuis viris præſtantiſsimis, & ſapientiſsimis, teq; tam indignum ſuis virtutibus conſpexerit

xerit: iusta iracundia inflammatus, magna vocis contentione in turpissima tua facinora clamitaret? mox obiurgatio inductæ personæ sequetur: Deponeturq; his verbis: Quæ sunt ista orationis tonitrua? nimis perterreris: velles præ rubore in abditissimo aliquo recessu delitescere: Adsis, adsis, iam ista orationis fulmina depono, &c. Ad hanc formam confingere possumus quàm plurimos alios apparatus inducendi, & deponēdi personas fictas, quibus illustris, & grauis oratio reddi potest.

Porrò, quanuis prosopopœia habet in oratione multum roboris ad vehementes animi perturbationes excitandas: tamen in apologis plus habet ornamenti, quàm reliquæ figuræ: Et vt nihil est in prosopopœia melius decôro: ita neglecto eo, nihil turpius. Quapropter videndum est, vt affectus, & verba personis, quas fingimus, maximè conueniant.

DE DIALOGISMO ALtero *prosopopœiæ genere. Cap. 41.*

ALTERVM prosopopœiæ genus dialogismᵘ est, id est, ficta personarū collocutio: quãuis enim dialogismus frequenter in prolepsin incidat: tamē sub hoc fictionis genere (de quo nūc agimus) cōprehēdi debet: quia dialogismᵘ ali-

aliquando ſine interrogatione, & reſponſione poteſt fieri. Cic. pro Planco. Malè iudicauit populus: at iudicauit: non debuit, at potuit: non fero: at multi clariſsimi, & ſapientiſsimi ciues tulerunt. Et pro Sylla. Cur dixiſti teſtimoniũ? quia coactus ſum: Cur damnati ſunt? quia creditum eſt. Eſt etiam dialogiſmus totius orationis: vt Comœdiæ, & Tragædiæ.

DE PRAETERITIONE,

ſeu prætermiſsione. Cap. 42.

FICTIO in rebus Græcè dicitur παράλειψις, vel ἀπόφασις. Et Latinè eſt præteritio, ſeu prætermiſsio: cùm dicimus id quod fingimus: nos prætermittere, & nolle dicere. Cic. pro Lege Manil. Non ſum prædicaturus Quirites quã tas ille res domi, militiæ, terra, mariq; quanta felicitate geſsit. Et ibidem. Non dico hoc loco maiores noſtros in pace conſuetudini, in bello vtilitati paruiſſe, ſemper ad nouos caſus temporum, nouorum conſiliorum rationes accommodaſſe. Non dicam duo bella maxima Punicum, & Hiſpanieſe ab vno Imperatore eſſe cõfecta. In hoc ſchema incidunt ſimulationes illæ, quæ ad augendum id, quod dicitur, adhibẽtur: Cùm fingimus rem tantam eſſe, vt exprimi verbis non poſsit: aut multò longius tempus ad dicẽdum poſtulet. Cic. poſt reditum ab exilio.

Quæ

Quæ tanta poteſt exiſtere vbertas ingenij? quæ tanta dicendi copia? quod tã diuinum, atq; incredibile genus orationis? quo quiſquam poſſit veſtra in nos vniuerſa promerita, nõ dicam complecti orãdo, ſed percenſere enumerãdo? Et pro Marcello. Dies me deficiet, ſi quæ dici in hanc ſententiam poſſunt, coner exprimere. Ab alijs appellatur hæc figura occupatio, valetq; multum ad ſpeciem amplificationis, quæ fit per collationem. Si enim per ſe magnam ſunt, quæ dicimus nolle commemorare, vt citius ad id, quod grauius eſt, perueniamus: increſcit illud, cuius comparatione illa negligimus. Multum etiam valet hæc figura ad methodum prudẽtiæ, quæ fit, cùm ſimulamus nolle nos aliquid dicere, dicimus tamen. Itemq; ad breuitatem orationis, et ad honeſtè prædicandum aliquid de nobis. Atq; ad amplificandam virtutem, & vitium vituperandum, &c.

DE VSU PRAETERITIONIS, *deq; formis aliquid prætermittendi.*

Caput. 43.

PRAETERMISSIONE vtendum eſt in his, quæ aut parũ firma, aut nobis inuidioſa ſunt: quia infirma, & leuia argumenta nonnihil cauſæ detrahunt. Quãquam quæ non proſunt ſingula, turba & multitudine iuuant: inuidioſa

P tacuiſſe,

tacuiſſe,quàm dixiſſe,præſtat. Sed quoniam in his ſolet eſſe aliquid,quod nobiſcũ faciat, cauſám ve cõmẽdet, ideo prætermittuntur hac figura: qua ſæpe maiorẽ vim obtinebũt,quàm narrando habuiſſent.

Subijciamus nunc nõnullas formulas aliquid prætermittendi,vt elegantius,&facilius hac figura vtamur. Prima,& frequẽtiſsima eſt ipſum prætermittendi verbum: vt,Prætermitto nũc, quibus cum ea nocte fueris, quò ſis profectus, quanta celeritate,&c. Secũda ſit. Taceo ſtupra, ſileo furta,non dico præ rubore ſacrilegia, nequeo exprimere huius adulteria,virginum cõſtuprationes,&c. Tertia. Non poſſum dicere tot,tantasq; libidines,&c. Quarta. Quid referam,quàm petulanter in pauperculam mulierem,viduam, &c. inuectus fueris? Quis poſſet explicare, oſtendere, demonſtrare? &c. Quid memorem data pocula vxori?quid dicam ſuppoſitos pueros? Nec queror perfidiã, nec doleo homicidium,nec expoſtulo de injurijs.

DE TERTIO ABRVPTIOnis genere. Cap. 44.

DE figuris,quæ ſunt in fictione perſonarum, & rerum dictum eſt: tranſeamus ad tertiũ propoſitæ initio partitionis genus: quod abruptio dici poteſt. Cuius ſpecies quatuor ſunt, digreſ-

digresio,auersio,reticentia,& correctio. Digresio,quæ Græcè παρέκβασις, id est, egresio, vel excursus est à re proposita in aliam,non tamen prorsus alienam, abruptio.: quæ interdū longior est, interdum breuior.

Digresio longior frequenter aliqua præfatione præmunitur,ne inconsiderati,& imprudentes res alias agere videamur. Et cùm tota excursio facta est: sæpe adhibetur clausula, quæ reditū significet ad id,vnde oratio egressa est. Sic Cic. Act.6.in Verrem.Comparatione Marcelli facta, Verris exagerat furta,dicens. Vnius etiam vrbis omnium pulcherrimæ, atq; ornatissimæ,Syracusarū direptionem cōmemorabo, & in medium proferam Iud. vt aliquando totam huius generis orationem cōcludam, ac definiam. Nemo ferè vestrum est, quin, quemadmodum captæ sint à Marcello Syracusæ, sæpe audierit,&c. Et paulò post digreditur à cōparatione Marcelli ad Syracusarum descriptionem dicens. Vrbem Syracusas maximam esse Græcarum vrbium: pulcherrimamq; omnium sæpe audistis. Est ita Iud. vt dicitur. Nam et situ est cōmunito,& portus habet propè in ædificatione,aspectuq; vrbis inclusos, qui cùm diuersos inter se aditus habeant,in exitu coniunguntur,& confluunt,&c. perge vsq; ad non dubitasset auferre.Deinceps Cic.indicat reditum

à digreſsione ad inſtitutam Marcelli, et Verris comparationem, dicens. Nunc ad Marcellum reuertar, ne hæc à me ſine cauſa cõmemorata eſſe videantur.

DE DIGRESSIONE *breuiori. Cap.* 45.

DIGRESSIO breuior eſt parentheſis. Cicero pro Milone. Exhibe quæſo Sex. Clodi, exhibe librarium illud legum veſtrarum: quod te aiunt eripuiſſe è domo, & ex medijs armis, turbaq; nocturna, tanquã Palladium ſuſtuliſſe, vt præclarum inde munus, ac inſtrumentũ Tribunatus, ad aliquem, ſi nactus eſſes, qui tuo arbitrio Tribunatum gereret, defferre poſſes (ſequitur iam parentheſis) et aſpexit me quidem oculis illis, quibus tũc ſolebat, cùm omnia omnibus minabatur. Alibi idem Cic. Tunc. C. Varenus, is qui à familia Anchariana occiſus eſt. (Nunc ſequitur parentheſis.) Hoc quæſo Iudices diligenter attendite, &c.

DE QVATVOR DIGRESSIO*num formis. Cap.* 46.

PORRO digreſsiones vel quæruntur propter res: vel propter auditores: nempe, vt res percipiantur, & vt facilius credantur, & vt libenres auditores diutius detineant: Vnde qua-

quatuor digreſsionum formæ exiſtunt: Nam aut repetuntur, aut producuntur, aut deriuantur, aut annectuntur. Repetuntur, cùm altius rem diducimus, quàm pro materia deſtinata opus erat: Vt ſi quis deliberalitate dicturus, & diſputaturus, prius dicat, quo fœdere humanũ genus ſit interſe à natura deuinctum. Quãtum eſt alios alijs bene facere, & cupere, &c. Producuntur digreſsiones, cùm longius extendũtur, quàm neceſſe ſit, ducente ſemper filo, quod ſemel apprehendimus: vt ſi de eodem liberalitatis argumento loquens, poſtquam de eo diſputaueris, adijcias: Si tam pulchrũ, tamq; magnificum eſt, pecuniam impendere: quid ſanguinem? quid vitam? Et hinc tranſeas per digreſsionem ad Chriſti Seruatoris noſtri cõmemoranda beneficia. Tales digreſsiones reperiuntur apud Vergiliũ in fine cuiuſq; libri Georgic. Deriuantur digreſsiones, cùm ex occaſione verbi, aut dicti alicuius ad res alias digredimur: vt fecit Cic. in illa Syracuſarum digreſſione. Deniq; annectuntur digreſsiones, cùm inferuntur extra propoſitum: vt ſi pueritiam verno tempori ſimilem facias: & adijcias per digreſsionem, optimum eſſe docendi genus per ſimilitudines, quæ de notis rebus ſumuntur, &c.

QVID SIT PROVIDENDVM *in digreßionibus, & in qua orationis parte adhibendæ sunt.* Cap. 47.

IAM verò in digreſsionibus longioribus prouidendum eſt, vt digreſſus ſemper tibi viam proſpicias, qua facilè, & cõmodè domum redeas, & ad propoſitum reuertaris: ne per ſaxa, & præcipitia digrediaris: niſi fortè digreſsionem propter ipſam rem quæſieris: vt fit in dialogis: qui orſi à prandio, & loci amœnitate, in quò conſidunt colloquentes, dilabuntur ad tractationem naturæ rerum, vel animi morum, aliúd ve magnum ex tam humili principio. Digreſsioni locus eſt in oratione, cùm auditores audiendo defeſsi ſunt: & hic locus in ſola confirmatione, vel cauſa erit. Nam in reliquis orationis partibus non eſt cur digreſsionem facias: In exordio enim quos tibi attentos, & beneuolos auditores feceris, neſcio cur in narratione velis recreare: præſertim cùm narratio tota penè digreſsio quædam videatur eſſe. In propoſitione verò, & partitione, quæ paucioribus verbis ſolet fieri, non eſt, cur digrediaris: neq; in peroratione quiſquam digreſsione eſt vſus. Quare ſola in cauſa, vel confirmatione eſt locus digreſsioni.

Porrò

Porrò digreſsiones valde ornant orationẽ, & extendunt: Nam per eas excurrimus nunc in perſonarum laudes: nunc in locorum deſcriptiones, ac deniq; in omne rerum genus: Sic Cicero pro Archia digreditur à cauſa in laudẽ humanarum artium. Hûc pertinent loci communes, de quibus in lib. 2. latè diximus. Erit autem vitioſa digreſsio longior, & breuior, ſi nullo modo cohæreat cũ re propoſita: & ſi perturbet ſententiam: Hæc ſi deſint vitia, digreſsio vtilis erit ad docendum, & ad perſuadendum, & ad delectandum.

DE AVERSIONE, VEL *apoſtrophe*. Cap. 48.

AVERSIO, quæ apoſtrophe Græcè dicitur, genus eſt abruptionis: cùm oratio à recto, & naturali curſu ad aliud quidpiam detorquetur. Vel ab vna perſona ad aliam. Quæ ex conditione perſonarum variè diſtingui poteſt: Nam aliàs ad humanam perſonam fit auerſio: vt Verg. lib. 2. Georg. de Italia dicit.

Extulit hæc Decios, Marios, magnoſq; Camillos
Scipiadas duro bello, & te maxime Cæſar.

Hîc per apoſtrophen ad Auguſtum ſe cõuertit. Et Cic. pro domo ſua. O. Q. Catule, patrém ne appellem, an filiũ? Aliàs ab hominibus fit auerſio ad Deum. Cic. Act. 7. in Ver. Nunc te Iupiter

opt.max. Aliàs fit auersio ad præsentem personam. Cic. pro Ligario, à Cæsare conuertitur ad Tuberoné. Quid enim Tubero tuus ille districtus gladius in acie Pharsalica agebat? Aliàs fit auersio ad incertam personam Verg. AEn. 4.

Exoriare aliquis nostris ex oßibus vltor,
Qui face Dardanios, ferroq; sequare colonos.

Aliàs fit auersio ad se ipsum: vt Verg. ibidem.

Quin morere, vt merita es? ferroq; auerte dolorem?

Aliàs fit auersio ad res inanimatas. Cic. pro Milone. Vos enim Albani tumuli, atq; luci, vos inquam, imploro, atq; obtestor.

DE VSV AVERSIONIS.

Caput. 49.

VTEMVR auersione, cùm oratio feruet, & tunc mirè conducit ad affectus cócitádos, si rectè adhibeatur. Quare ait Quintilianus, hanc figuram auditores vehementer mouere siue cùm aduersarium inuadimus, siue cùm ad aliquam inuocationem sermoné conuertimus: siue ad inuidiosam implorationem: vt ò leges Portiæ, ò leges Semproniæ. Frequentissimè vtitur Cic. hac figura: quæ si fiat cum consultatione, erit communicatio: vt quid tu diceres, si talem obedientiam seruus tibi præstaret, qualem tu deo opt.max. exibes? Si fiat cum precibus, dicetur deprecatio. Ouid. 1. Met. Dij ceptis,

tis,nam vos mutaſtis & illas,aſpirate meis.Habet figura hæc locum in miſerationibus: ſi calamitatibus oſtẽſis,quibus premimur,vel ad miſericordiam,quã imploramus:vel ad rem, quæ nos vrget,oratio traducatur. Præſtantiſsimus omnium modus hac figura vtẽdi, is eſt,ſi quos obiurgare coràm de re aliqua non audemus: eos per auerſionem in rem, vel perſonam abſentẽ,reprehendamus:vt ſi potẽtem principẽ: aut alium,cui reuerentiam debeas, vel eius offenſionem timeas,non audeas de tyrãnide coràm reprehendere : conuertes ſermonem ad aliquem exhis,qui Remp.oppreſſerunt: eumq; acriter vrgebis,accuſabis,& damnabis.Idem in tyrãnidem facies per auerſionem.

DE RETICENTIA,ET *eius vſu. Cap. 50.*

RETICENTIA, (quæ ἀποσιώπησις Græcè dicitur) eſt abruptio,qua pars aliqua ſententiæ reticetur,& quaſi abrumpitur oratio : Obticentiam vocat Celſus, alij interruptionem. Hæc figura oſtendit affectum iræ: Verg. AEn. Quos ego : ſed motos præſtat componere fluctus.Et Terent.in Andr. Quem quidem ſi ſenſero : ſed quid opus eſt verbis?& Cic. pro Mil. Noſtrum eſt omnium: non audeo totum dicere.Fit etiã reticentia aliò trãſcundi gratia.Cic.

Communis autem : tametsi ignoscite mihi Iudices. Hæc figura non habet proprium in oratione locum, nisi vbi res exigit. Exigunt verò res turpes, aut inuidiosæ, aut notiores, quàm, vt dici debeāt, aut eiusmodi, quæ dici nequeāt sine eius molestia, qui loquitur, vel audit. Est etiam elegantissimus reticentiæ vsus, cùm ob maiorem suspicionem aliquid reticemus, vel præ iracundia orationem cohibemus, & quasi abrumpimus : sic flagrans ille iracundia senex Terentianus dixit, quid ais omnium?

DE CORRECTIONE.

Caput. 51.

CORRECTIO, (quam Græci vocant ἐπανόρθωσιν) est propositæ sentētiæ emendatio, & reprehensio : quæ sicut reliquæ figuræ, grata est, cùm id quod prius dictum est, subtiliter videtur corrigi. Ci. 2. Offic. Italiam ornare, quàm domum suam maluit : Quanquam Italia ornata domus ipsa mihi videtur ornatior. Differt hæc figura à correctione verbi: quia illic verbū corrigitur : hîc sententia : vt si quis posteaquā in vitia acriter inuectus fuit, subiungat. Sed insanus sum, & temerarius, qui sic hominum scelera reprehendo. Hūc pertinet reuocatio sui ipsius. Cic. Act. 7. in Verr. Sed quid ego his testibus vtor? Et pro Mil. sed finis sit : neq; enim

præ

præ lachrymis loqui possum: et hic se lachrymis defendi vetat. Hæc correctio valet ad mutandam sententiam, & animi moderationem declarandam.

DE QVARTO GENERE *figuræ sententiæ, & de eius speciebus.*

Cap. 52.

RESTAT in cõprehensione sententiæ quartum figuræ genus, quod amplificatione rei, de qua agitur, solet conformari: & triplex est. Exclamatio, sustentatio, & licentia. Exclamatio est orationis elatio vehementior, & contentio ad augendum reperta: In qua sæpe his particulis vtimur. O. pro, heu, eheu, en, & similibus. Variasq; animorum commutationes declarat. Cic. pro Quint. ò rem incredibilem: ò cupiditatem inconsideratam. Pro adhibetur ad obtestationem Terent. in Andr. Pro deûm, atq; hominum fidem: si non hæc contumelia est. Heu, et eheu triste aliquid, & molestam indicant. Cic. in offic. ò domus antiqua, heu quàm à dispari domino dominaris. Verg. Eclog. 2.

Eheu quid mihi misero volui?

En aliquando quid triste & miserabile præ se fert. Verg. eclog. 1. *En quò discordia ciues perduxit miseros?* Valet hæc figura ad iocandum. Cic. pro Balbo. O præclarum interpretẽ iuris, auctorẽ antiquitatis, &c. Habet interim admi-

admirationem. Cic.pro Ligar. O clementiam admirabilem,atq; omni laude,literis,monumẽtisq; decorandam. Admittit cõmiserationem. Cic.Act.7.in Verr. O ſpectaculũ miſerum atq; acerbum. O magnum,atq; intolerabilem dolorem.

DE VSV EXCLAMATIONIS, & de eius ſpeciebus. Cap. 53.

EXCLAMATIONE vtendum eſt, cùm aliquid turpe eſſe,immane,nefariũ,aut quoquo modo aliter rationi,vſui, inſtitutoq; repugnans,conuicerimus. Tunc enim quaſi incenſi, & inflãmati rerum commemoratione tam ab vſu,& ratione abhorrentium,tãquam nequeamus nobis temperare, intendimus vocem,& exclamamus, ò tempora, ò mores,&c.

Simile habet execratio cum exclamatione, & huic admodum finitima eſt:licet ſit cum optatione permixta. Sed figuræ multæ plerunq; in idem coëunt: nec loco,nec re ipſa,ſed ratione inter ſe tantum ſeparãtur. Cic.pro Deiotaro. Dij te perdant fugitiue, ita non modò nequam,& improbus : ſed amens,& fatuus es. Epiphonema quoq; ſpecies eſt exclamationis: & eſt acclamatio, quæ ad finem rei narratæ, & explicatæ addi ſolet : vt cùm Vergilius AEn.1. expoſuiſſet cauſas, quibus Iuno cõmota Troianos perſequebatur,tandem exclamauit.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.
Et Cic. pro Milone. Facere enim probus adolescens periculosè: quàm perpeti turpiter maluit. Vtimur in epiphonemate his notis: tátus, adeò, vsq; adeò, &c.

DE SVSTENTATIONE, *& licentia.* Cap. 54.

SVSTENTATIO est suspensio sententiæ, cùm res magna dicitur: & modò maior, modò minor subijcitur, quàm erat expectata: suspendit animos, vt aliquid objiciat inopinatum. Cic. Act. 7. in Verrem. Quid deinde? Quid censetis? furtum fortasse, aut prædam aliquam? Nolite vsquequaq; quidem quærere. Et paulò post. Expectate facinus quàm vultis improbũ: vincam tamen expectationem omnium. Captatur interim iocus simulata sustentationis specie, vbi aliquid maius tãquam promittitur, dicitur verò minus. Martialis lib. 6.

Quòd conuiuaris sine me tam sæpe Luperce,
Inueni noceam, qua ratione tibi:
Irascar, licet vsq; voces, mittasq;, rogesq;,
Quid facies? inquit, quid faciam? Veniam.

Licentia, (quæ à Græcis dicitur παρρησία,) est orationis libertas, & fiducia liberius mentis affectum exprimens: quæ vt reliquæ figuræ, actione, & voce declaratur. Cic. pro Ligar. Vide quàm

quàm non reformidem: vide quanta lux libertatis, & ſapientiæ tuæ mihi apud te dicenti oboriatur. Quantũ potero alta voce contendam, vt hoc populus Rom. exaudiat: Suſcepto bello Cæſar, geſto etiã ex magna parte, nulla vi coactus, iudicio meo, ac volũtate, ad ea arma ſum profectus, quæ erant ſumpta contra te. Apud quem igitur hæc dico? nempe apud eum, qui cùm hoc ſciret: tamẽ ante quã me vidit, Reip. reddidit. Et Agrar. 1. Ijs ego rebus. P.C. reſiſtã vehemẽter, atq; acriter: neq; patiar homines ea me Cõſule expromere, quæ cõtra Rẽp. cogitarint. Vtilis eſt hæc figura ad veritatem exprimendã, & ad indicandã animi perturbationẽ.

DE COLLOCATIONE, *& vſu figurarum. Cap. 55.*

HACTENVS ſententiarũ ornamenta ſunt expoſita in quatuor generibus: quæ cùm venuſtatis multum habent: tum grauitatis plurimũ, & dignitatis. Quibus, quia Demoſthenes frequentiſsimè vſus fuit, ſunt qui eius eloquentiã putẽt, fuiſſe maximè laudabilẽ. Et certè nullus locus educitur ab eo fine quadã ſententiæ cõformatione. Quando autẽ hac, vel illa figura vtendũ ſit, res ipſæ, de quibus agetur, & exẽpla illuſtriũ Oratorũ indicabũt. Quæ verò de collocatione figurarũ diximus, non tã in arte, quàm

in

in prudentia sita sunt: Propterea quòd magis ex animi affectionibus, quàm ex rebus ipsis pẽdent. Itaq; certum figuris in oratione locum assignare, nisi in paucis posset nemo. Quare collocationis, siue vsus figurarum, tenẽda ratio est: vt loco, & tempore adhibeantur. In verborum figuris nulla propemodũ est difficultas: at in sententiarum ornamentis, quia sunt indices affectuum, nõnihil est difficultatis. Illud autem non est prætermittendum, troporum atq; figurarum quatuor esse vtilitates: prima est in tropis illustrãdi: Secunda suauitatis in multis verborũ figuris: Tertia ostẽtationis: & quarta grauitatis in ornamẽtis sententiarũ: Quæ vni amplificationi potissimũ deseruiunt. Cauẽdum tamẽ est, ne dum verborũ, sententiarũq; figuras, tanquã delicias consectamur, in verborum inanem loquacitatem incidamus: id verò effugiemus, si has amœnitates figurarum rerum pondere æquemus, & vincamus. Omnis enim loquacitas odiosa est: in quam ij solent incidere, qui ornamenta figurarum, tanquam flosculos ad componendam orationem sibi comparant. Nolim ego has exornationes æqualiter per orationem fusas esse: Sed ita distinctas, vt sint quasi emblemmata in aureis vasis, vel argenteis. In quibus opus cõmendatur, & est magis conspicuũ, vbi materiæ puræ aliquid apparet, quàm

quàm si rota crustis illigata, delitescat. Idem faciendum censeo in oratione: vt sint hæc orationis ornamenta, quasi quædam lumina, & insignia, posita in ornatu. Sapientissimè ille poëta Comicus dixit. Hoc in vita esse præcipuum, vt ne quid nimis. Quod in oratione maximè spectatur: in qua mediocris figurarum vsus mirabiliter delectat: contrà immoderatus molestiã, & offensionem generat. Et idcirco bonus Orator peritos pictores imitabitur, qui in tabulis depingendis vmbrã aliquam, & recessum addunt, vt id quod illustratum est, magis emineat: sic Orator vmbras aliquas, id est, intermissiones figurarum ponet: vt lumina, quæ adhibentur orationis, appareant illustriora.

DE CONCINNITATE *elocutionis tertia parte. Cap. 56.*

ELOCVTIO in tres partes distributa à nobis fuit: in tropos, in figuras, & in concinnitatem: duas priores explicauimus, superest cõcinnitas, cuius proprium est verba verbis ita coagmentare, & cõiũgere, vt numerosè, & modulatè inter se consonent.

Sit igitur concinnitas oratio modulatè cõposita suauitatis aurium gratia. Cuius partes duæ sunt natura, & ars. Natura posita est in aurium iudicio: & præcipit, quò ad numerum, & verborum

borum (vt ita dicam) conſonantiam, vt eorum talis iunctura ſit, quæ omni cacophonia careat, ne proferentes indecorum oris geſtũ inducere cogat: vnde vſus dictionum iniucũdè ſonãtiũ, vitandus eſt: vt, dominorum, baccæ æneæ: et vocalium hiatus, earũ præſertim, quæ iunctæ diphthongos faciunt: vt ſi duæ voces iungantur, & finis vnius cum alterius initio faciãt diphthõgum: vt anima eius, cœlo æterno. Eſt etiam fugiendus aſper conſonantium concurſus, qualis x, &. s. vt crux ſalutifera. Et x, & r, vt crux regnat. Et l. & r: vt ſol refugit: Quæ omnia inuerſo ordine dicẽtur modulatius. Salutifera crux, regnat crux, refugit ſol: ſic enim vitatur concurſus aſper conſonantium. Similiter fugiẽdæ ſunt ex vocalibus, i, &, u, frequentes, & ex conſonantibus s, & r, contrà adhibendæ a, e, o, ex vocalibus, & ex conſonantibus l, & m, quæ optimè ſonant: vt templum, maieſtas. Ex duobus verbis idem ſonantibus, ſonantius eligendum eſt: vt illuſtrare dices potius, quàm explanare: & in vocalibus plus iuſto longioribus ſyncope eſt vtendum: vt amâſſem, pro amauiſſem, ſeſtertiûm pro ſeſtertiorum. In periodis magna concinnitas erit, ſi paria membra, aut ſimiliter cadentia reddantur: vt Cic. fecit. Act. 4. cõferte hanc pacem, cum illo bello, huius Prætoris aduẽtum, cum illius Imperatoris victoria: huius

ius cohortem impuram,cum illius exercitu inuicto,&c. Atq; hæc de naturali concinnitate.

DE ARTE CONCINNITATIS, ET *de eius partibus. Cap. 57.*

CONCINNITATIS ars pedum certo numero constat,& comprehenditur:& diuiditur in carmen,& numerũ oratorium. Vtrũq; genus ex pedibus constat: Ratio numeri ex prosodia, & orthographia Grãmaticæ petẽda est: Tametsi non est eadem Grammatica prosodia,& oratoria: illa enim recta,ac simplici pronuntiandi ratione continetur: Hæc verò concinnam pronuntiationis iucunditatem quærit. Sit igitur pes metricus dimensio quantitatis in duabus minimum syllabis,id est,comprehẽsio ad minimũ duarũ syllabarũ: vt, spondeus. Pedes aut sunt disyllabi,aut trisyllabi: disyllabi sunt quatuor,Pyrrhichius, ex duabus breuibus,vt deus. ᴗᴗ. Spõdeus ex duabus longis,vt musas. - -. Iambus ex breui et lõga,vt opes ᴗ-. & Choræus: ex longa & breui,vt arma - ᴗ. Pedes verò,qui ex ternis syllabis constant, octó sunt,Mollosus ex omnibus lõgis, vt Romanos. Trocheus, ex omnibus breuibus,vt legere. Dactylus ex lõga & duabus breuibus,vt dicere Anapæstus ex duabus breuibus & vltima longa, vt fluuios. Creticus ex media breui inter duas

lon-

longas, vt iudices. Amphibrachys ex media lōga inter duas breues, vt amare. Bachius ex duabus longis breuem sequentibus, vt Athenæ. Palimbacchius superiori cōtrarius, vt cantare, ex duabus longis, et vltima breui. Hi sunt pedes, qui ex arte constant.

DE CONSIDERATIONE, *naturæ in syllabis. Cap. 58.*

NATVRAE consideratio in numeris longè maior est: quæ primum literarum bonitatem natiuo quodam aurium iudicio, ac syllabarum spatia, temporaq; perpendit. Nec (vt fit in arte) omnes longas omnibus longis, nec omnes breues omnibus breuibus pares statuit: Sed quantò maior est, ac fortior prima vocalis a, quàm tertia i, tantò lōgiorē esse syllabā, quæ prima illa vocali lōga cōstat, quā fuerit ea syllaba, quæ ex tertia vocali lōga cōstabit. Idē esto iudicium de consonantibus: quarum aliæ alijs grandiores sunt, aut minores, aut iucundiores, aut asperiores: vt hi duo versus Vergilij declarabunt: alter eclogæ. 1. *Tytire tu patulæ recubans sub tegmine fagi.* Et alter AEn. 1.

At nunc horrentia Martis

Arma, virumq; cano: In primo versu tenuissimus est numerus, si artem consulas: quia, i. tenuissima omnium vocalis quater auditur: & quinquies e, quæ illi tenuitate

proxima est: & u, quæ sono simillima est, quater. Ex reliquis autẽ vocalibus, quæ sono sunt amplissimæ, & clarissimæ, a, ter dumtaxat, o, prorsus non auditur. Et è consonãtibus, t, quæ est tenuissima, quinquies, & r, quæ asperrima, bis tantum. Contrà verò in secundo versu belli cus quidam horror ipso numeri horrore concipitur. Vocalis enim a, sexies, o, bis: neq; media, sed prima, & postrema syllaba, strepitum quendam excitant: consonans etiam, r, geminata in voce (horrẽtia) & m, in (arma) quodammodo fremũt. Hoc igitur, tantum numeri discrimẽ aures percipiũt, quæ plena sentiũt, expleta desiderant, asperis offendũtur, lenibus mulcentur, contortis excitantur, stabilia probant, clauda reprehendunt, & redundantia fastidiũt: ideoq; verbo in fine posito sæpe capiũtur: quia est in verbo Oratoris vis. Sic Cic. pro Sylla, Misericordia vestra à nobis crudelitatis famam repellamus. Aliquando tamen, aliter oratione conclusa, non offenduntur: vt Philip. 2. Cic. in Antonium. Tantum in Hippiæ nuptijs vini exhauseras, vt tibi necesse esset in populi Rom. conspectu vomere postridie. Sæpe vna dictione comprehensa delectãtur: vt Cic. in Oratore. Patris sapiens dictum filij temeritas comprobauit.

DE

DE NVMERO POETICO, & Oratorio. Cap. 59.

IAM species duæ numeri declarandæ restãt. Et numerus aut est poëticus, aut Oratorius. Poëticus constat certis pedibus lege certa dispositis, & à Poëtis carmen dicitur à canendo, quòd musicis cantibus sit aptum. Eius genera sunt multa: duo tamen sunt à Poëtis maximè frequentata, exametrum, & pentametrum. Numerus autem Oratorius, id est, orationis solutæ certa pedum mensura non continetur, vt carmen: quin potius, quantum potest à specie poëmatis recedit. Furatur quidem à poëmate voluptatem, nec tamẽ vult eius signa deprehendi: vt callidi fures faciunt, qui vasis argenteis furto sublatis, notas adimunt, vt argento impunius vtantur: sic in soluta oratione versus integer vitandus est: Cauendum etiam est, ne idẽ pes sæpius repetatur, quia varietas spectat ad ornatum. Primam ergo curam numeri in prosa clausulæ desiderant: principia secundam, media postremam. In clausulis, & oratione extrema auditores acquiescunt: in principijs excitantur. Ideo sit primum præceptum. In clausulis non erit maior syllabarum numerus sex, nec minor tribus. Secundum. Etsi omnes numeros moderatos esse oportet: tamen quidam in extrema oratione cõcinniores sunt:

vt dichoreus anteeedente cretico ex longa & breui: vt illud Cic. Patris sapiens dictum filij temeritas comprobauit. Et pro Marcello. Nobilissimamq; familiam iam ad paucos redactã, penè ab interitu vindicasti. Itemq; pæan quartus, & spondeus, id est, prima longa, tres breues, & duæ lõgæ. Cic. in Catil. 1. Quod ego prætermitto, & facilè patior sileri, nec in hac ciuitate tanti facinoris immanitas, aut non extitisse, aut nõ vindicata esse videatur. Alijs quoq; numeris Cicero delectatus est: qui tamen, quò sunt insigniores: eò magis satietas eorum cauẽda est, & similitudo fugiẽda: ne animaduersio, aut affectatio deprehendatur. Porrò, quanuis oratio soluta poëmatis obseruationem fugiat; aliquando tamen ad poëticos numeros accedit, cùm isocôlis, homioteleutis, & homioptotis vtitur. Isocôlon vocamus periodum membris exæquatam; & idcirco dicitur cõpar: quia habet orationis membra, quæ ex syllabarum pari numero constant: vt apud Cic. pro Flac. Nominibusq; recitatis homo audacissimus pertimuit, loquacissimus obmutuit. Homioteleuton dicimus similiter desinens, cùm dictiones, vel sententiæ similes exitus habent: vt Cic. in Catil. Abijt, excessit, euasit, erupit, &c. Et illud. Turpiter audes facere: & nequiter studes dicere. Homioptoton appellamus similiter

cadens,

cadens,estq́, orationis exornatio, cùm in eadē verborum constructione duo, aut plura verba sunt,quæ iisdē casibus efferuntur.Cic,pro Flac. Nulla in his varietas opinionis, nulla voluntatis,nulla sermonis,&c. Quæ orationis ornamē ta valde suauem orationem efficiunt, propter numerum,consonantiamq́; verborum.

DE PERIODO, ET MEMbro, atq; inciso. Cap. 60.

VT autem vniuersæ elocutioni finem imponamus, (quoniam in hac concinnitatis arte clausulæ, & periodi mentio à nobis facta est) animaduertendum est,eas, quas Græci periodos appellant,à Latinis clausulas vocari, quæ & comprehensiones,& circunscriptiones, ambitusq́; dici possunt. Vnde periodus est punctū clausulam finitam esse ostendens, atq; animum posse quiescere.Periodus distinguitur in membra,& incisa. Membrum duo puncta sunt orationis denotantia,eò peruenisse,vbi oratio,aut verbo, aut quoquam simili finitur: sed adhuc desiderari aliam orationis partem.Incisum verò, siue cōma est imperfecta sententia, vel (vt ait Quintilianus) sensus non expleto numero conclusus:A multis membri pars vocatur:quia periodus ex membris,& incisis tanquam partibus constat,membra,seu cola maiores periodi

partes appellantur,incisa,vel cōmata minores. Hæc erunt perspicua subiecto Ciceronis exemplo Philip.1. Cuius initiū est: Antequā de Rep. dicā P.C. (coma vel incisum est hactenus) quæ dicenda hoc tēpore arbitror: (hoc est colon, seu membrum) exponam vobis breuiter, consilium profectionis,& reuersionis meæ. Hic est absoluta,&finita periodus,vel clausula. Vt syllogismus ex omnibus suis partibus cōstās,periodus est,propositio,assumptio,& complexio mēbra sunt syllogismi. Periodus breuior est illa præcedens Cicer.Philip.1: Antequam de Rep. dicam,&c. Aliquando lōgior est, vnius videlicet spiritus mensuram habēs, (vt ait Quintil.) Tametsi Oratores hanc excedunt longitudinem. Sed turpe est in media periodo anhelitum resorbere. Quanuis minimè nego,talem posse dari periodū,vel clausulam, quæ duobus spiritibus indigeat. Qualis est illa Ciceronis pro Milone. Etsi vereor Iudices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem, timere, &c. vide reliqua vsq; ad punctum.

Atq; hæc paucis dicta sint de concinnitate,quā multi tanquam inutilem reiecerunt, dicentes ex aurium iudicio tantummodo pendere: sed eorum iudicium refutat Quintilianus: quia si naturæ propensio solum spectanda esset, tota Rhetoricæ ars subuerteretur: Nec quisquam

est

est tam integro iudicio prӕditus, vt suis auribus fidat. Sed & ars ipsa naturam quantumuis prӕstantem perficit. Quamobrem, ars concinnitatis necessaria est: quia non est satis ad mouendum auditorem benè inuenta disposuisse, tropisq; , & figuris elocutionis ornauisse, nisi modulata, & benè iuncta oratio esset: alioquin in affectum non intraret, quod in aure tanquã in vestibulo offenderet.

Sed iam ad reliquas Rhetoricӕ partes ordine doctrinӕ procedamus.

LIBER QVARTVS de memoria, & pronuntiatione.

DOCTRINA EADEM, QVAE *dispositionis est memoriæ.* Cap. I.

MEMORIAE DOctrina est eadem, quæ dispositionis: quia ad confirmandam memoriam nihil aliud videtur præcipiendũ nisi, vt ad res, quas velis ediscere, partium ordinẽ adiungas, & methodũ cõsideres: Hæc enim est ars verissima, & rectissima memoriæ. Atq; idcirco ineptiæ quædam sunt, quas de imaginibus, & locis ad memoriã confirmandam Carneades, et Metrodorus, Simonidesq; tradiderunt. Vnde meritò à Fab. Quintiliano contemnuntur, ac deridentur, putatq; meliora, ac simpliciora esse diuisionem, et compositionem coniunctam cum exercitatione. Atq; ideo dicit, memoriæ artem totam esse positam in compositione, & diuisione. Iam igitur

tur quæramus, quæ sit ars ordinis, quæ ars diuidat, & componat: & tunc memoriæ artem inueniemus. Et sanè hæc memoriæ ars posita est in enuntiationis, syllogismi, & methodi præceptis: ideoq; de sententia grauissimorum virorum hæc Rhetoricæ pars dialecticæ dispositionis propria est.

MEMORIA NATVRA, ET *arte iuuari potest. Cap. 2.*

ET licet hæc ita se habeant, memoria tamen natura, & arte iuuari, & confirmari potest. Et præcepta quædam Medicorum memoriam tenacem efficiunt, quia semper humorum redundantia læditur. Quæ tamen ipsis Medicis relinquemus. Præcepta verò quibus memoria confirmari potest, sint ordo, distinctio, numerus, quibus si exercitatio accesserit, nihil est amplius requirendum. Quòd si externa præsidia requiramus, multa afferri possunt ad memoriã confirmandam: vt literæ, si cuiuis pro vocabulũ numero quinas lineas, aut sentẽtias scribamus; Et si in vniuerso rerum ambitu res quæramus, quæ proprietate cum ea re consentiant, cuius meminisse volumus. Itemq; omnia, quæ ad recordationem iuuant, memoriæ prosunt vehementer: vt locus, personæ, & earum adiuncta, & conditiones, simile, & dissimile, & contrarium,

rium,&c. Inter hæc,& alia multa,in primis potissima est memoriæ excitatio. Hinc est, quod Quintilianus dixit. Memoria excolendo augetur, & Cicero ad. Q Fratrem. Exercenda est memoria ediscẽdis ad verbum quàm plurimis & nostris,& alienis. Qua propter in hac re Oratori maximè est elaborandum: siquidem (vt ait Quintilianus) eloquẽtiæ thesaurus est memoria,sine qua totus Oratoris labor est inanis.

ALIA REMEDIA QVIBVS *memoria confirmatur.* Cap. 3.

SED fortasse quispiam quæret,an Oratori ad verbum ediscenda sit oratio? Cui ego respódeo: Si memoria suffragatur,nulla me vellẽ syllaba effugeret. Ediscimus ad verbum, cùm non modò sententias orationis, verum etiam & singula verba memoriæ commendamus. Sic memoria exercitata in infinitum propè durat. Vnde sine exercitatione memoria nihil est:carmina etiam illam iuuant, quia citius ea percipit,quàm prosam: Itemq; rerum,ac nominum deriuationes,& origines: Sic Cicer. & aur Ciceronem,&Aurelium reducent in memoriam. Memoriæ quoq; suffragatur,tacitè ediscere, & antequam cubitum discedas,repetere, quæ vel memoriæ mandasti,vel mandare cupis: vt cùm proximo manc à somno excitêris, earum rerũ

species

ſpecies,quas edidiſciſti, impreſſas in memoria reperias.Deniq; ſi memoria minimè tenax eſt, & conſtans,tutius erit ordine,ac ipſis rebus animo comprehenſis, tibi loquendi libertatem comparare:præſertim,ſi dicendi facultate præſtas. *Atq; hæc ſatis de memoriæ arte.*

DE PRONVNTIATIONE, *& de eius partibus.* Cap. 4.

PRONVNTIATIO in dicendo miram quandam vim, & poteſtem habet, adeò, vt non tam referat, qualia compoſueris, quàm quomodo dicas, & pronunties: quia vt quisq; audit,ita & mouetur. Hinc Demoſthenes ſummum locum interrogatus,pronuntiationi conceſsit,eiq; primas,ſecũdas,& tertias,id eſt omnes partes dedit.Cicero quoq; in dicendo pronuntiationem dominari dixit. Exemplo ſunt Actores ſcenici, quorum tota laus pendet ex actione.Deniq; nulla oratio tã eſt elegans,quæ indecora pronũtiatione vires ſuas nõ perdat, & amittat. Quamobrẽ de pronuntiatione accuratè,& diligẽter diſputemus, quam quidam à geſtu actionem vocant: ſed nos à voce pronuntiationem appellamus.

Pronuntiatio igitur eſt apta conceptæ elocutionis enuntiatio: nec eſt alia pronuntiationis doctrina,quàm elocutionis: in hac enim cogi

tatur

tatur,& concipitur elocutio propositis rebus consentanea,in illa verò, qualis cogitatio fuit, talis debet esse pronuntiatio.

Pronuntiationis partes duæ sunt : vox, vnde pronuntiatio,& gestus,vnde actio dicitur. Harum partium vna ad aures,& altera ad oculos refertur : per quos duos sensus omnis fere cogitatio peruenit.

DE VOCE. *Cap. 5.*

DE voce ergo dicendum primo est,& ea quidem natura constat, & arte. Fatemur sanè, multum præstare naturam : Sed ea si iunctur arte,erit absolutior. De voce igitur sit cōmune præceptū multa cōplectēs : vt qualis sit oratio, talis adhibeatur pronuntiatio: quoniā ea orationis vim explicat. Vocis natura spectatur quantitate,& qualitate : Quantitate, cùm est grandis,vel exigua,vel media. Qualitate verò, cùm est plena,vel exilis : lenis, vel aspera : clara,vel obtusa. Duobus remedijs vox augeri potest,exercitatione ipsius vocis, dicendo frequēter, & orando : sic enim (vt ait Quintilianus) non modò cōfirmatur vox,& latus, verum etiā corporis motus decens, & accommodatus orationi componitur. Alterum remedium, firmitas est corporis : quā præstat ambulatio, genuum flexio,vnctio,castitas,frugalitas : Hæc enim fauces molles,ac lenes reddūt,efficiūtq;

ne

ne nimis humor impediat, nec spiritu consumpto quis destituatur: vnde fit, non esse mollien dum delitijs Oratorem, neq; ea consuetudine imbuẽdũ, quæ non possit durare: sed potius labore cõfirmandũ, vt vox virilis sit, & permanẽs.

Vox igitur sit sana, & pronuntiatio dilucida, quæ omnia verba exigat, nullaq; deuoretur syllaba: sed clarè, & distinctè proferat accentu vel graui, vel acuto, vel circunflexo.

Præterea sit distincta pronuntiatio, ita vt qui dicit, inde incipiat, vnde oportet, et concludat, suasq; moras habeat comate, colo, & clausula, ne sit anhelus animus: sed recta, & cõstans pronuntiatio sit.

DE IIS, QVAE DICENDI *actum præcedunt.* Cap. 6.

IAM verò dicamus de illis, quæ ipsum dicẽdi actum præcednnt: mox de dicendi actu, ac tandem de gestu ipso.

Igitur ante omnia, Orator suam orationẽ, ita firmiter memoria retinebit, vt eam sine hæsitatione pronuntiare possit: seq; in declamando, & in genere dicẽdi priuatim exercebit: quã in re multum expediet, si rerum, de quibus dicturus est, & personarum, diuersos locos ante se, dextra, læuaq; positos, mente concipiat, ad quos oculos, manus, deniq; totam orationem, motumq; conuertat.

In dicendo si vult excellere, vocis suæ quantitatem,& qualitatem,& vsum priuata exercitatione experietur. Quantitas vocis cautiones duas habet: vna est, vt sonus tantus sit, quantū loci amplitudo postulabit. Altera, vt is, cui vox est imbecillis,& debilis, insurgat rarò, sæpe submittat, deflectat sæpe. Qualitas etiam vocis in duabus rebus cernitur: prima, vt clara sit: secūda, vt sit suauis. Claritas augebitur exercitatione pronuntiandi ea, quæ clamorem, disputationem,& flexum habent: Suauitas verò imitatione eorum, qui suauiter, presseq; loquuti sunt. Ad motum, & vocis confirmationem proderit amici cuiusdam prudentis iudicium adhibere. Gestum à minori motu ad maiorem, vocē ab imis sonis ad summos præparabit, spiritumq; vt longior fiat, pluribus versibus continuata vocis pronūtiatione producet. Et in primis priusquam dicere incipiat, auxiliū à Deo opt. Max. petet, animumq; alacritate quadam excitabit: ac veste cōposita,& naribus, atq; pectore prępurgatis, cum dignitate,& grauitate ad dicendum minimè timidus accedet: Inq; suggesto, ex quo dicendum sit, consistens, honore prius auditoribus exhibito, breuiuscula mora ab illis attentionem sibi comparabit.

DE MODO PRONVN-
tiandi. Cap. 7.

FACTO

FACTO igitur silentio, iamq́ auditoribus ad audiẽdum præparatis, Orator dicet orationis suæ principium (nisi abruptũ sit) clare, atq; suauiter: non elatè, nec præcipitanter: sed grauiter ac temperatè. Absoluto exordio, narrabit sono vocis apertiore, confirmabit acriore, flexo miserationem, elato summos affectus cõcitabit. Vocem minimè vltra vires vrgebit: sed aptior illi erit mediorum sonorum vsus. Nam summi rumpuntur, imi vim non habẽt: ideoq; vox media omnium est optima. Eodem vocis tenore non est diu pronuntiandum, sed pro rerum, & affectuũ varietate varianda vox est, vt atrocia concitatè, tristia flebiliter, mediocria temperatè, et grandia cum grauitate dicantur. Dicendi promptitudo moderata sit, nõ tarda, quæ soluit animos: nec volubilis, quæ affectus, distinctionesq; cõfundit. Literas nec opprimere, nec nimis exprimere debemus: sed voces integras proferre, ac pedes, & numeros modulatione seruare, maximè in fine sententiarum, & clausularũ. Si affectibus caremus, quos extorquere volumus, de industria rerũ imagines cõcipiẽdo, in ipsis nos ponemus, tũcq́; vox orationis nostræ affectus optimè sequetur. In variãda tamen voce, illud de spiritu obseruabimus, ne vel eò vsq; trahatur, vt deficiat: ne, vel crebro receptus, sententiam intermittat.

DE VARIANDA VOCE
in singulis orationis partibus.
Caput. 8.

IN rebus lætis vox sit plena, simplex, & quodammodo hilariter fluat:& vice versa,in rebus tristibus.Reliqua ex orationis partibus distinguenda sunt.In exordio vox sit lenis,& moderata : In narratione,propositione , & egressione recta, & media inter acutum, & grauem sonum.In confirmatione erecta,& quæ totis viribus(velut neruis)intendatur:ita tamen,vt varietate sua constet.In ira aspera,densa,& respiratione crebra.In blandiendo verò,fatendo,satisfaciendo,& rogando, leniatur, & submittatur.In cohortationibus sit fortis : & grauis in cõsultatione et pollicitatione.In metu verẽda, & contracta. Et quanuis in cõfutatione fortis, & erecta esse debet : sit tamen in inuidia facienda paulò lenior.In peroratione affectus naturã subsequatur.

DE VARIANDA VOCE
in figuris verborum, & sententiarum.
Caput. 9.

PROXIMA est illa vocis varietas in verborum,& sententiarum figuris : Et verborum quidem,vt in omni repetitione, commutatione,&c. vox spiritum repetere, cõmutare, &c.
videa-

videatur. Et in primis, vbi oratio numerosior fuerit, inibi quoq; vox ipsa obscurum illum indoctis: doctis tamen suauem, & notabilem cãtum variè, dissimulanterq; moduletur. Quam vocis suauitatem Demosthenes, & AEschines multoties vsurparunt. In figuris autem sententiarum illa vocis varietas est obseruanda: vt in pronuntiando, optatio volũtatem præ se ferat: deprecatio supplicationem, communicatio cõsultationem, concessio, & permissio consensionem: prolepsis alienam cogitationem, prosopopœia fictionis inductæ speciem, & alienã vocem, digressio, & auersio à rebus, & personis sermonem alienatum, reticentia concisum, & correctio refutatum, exclamatio, sustentatio, & licentia amplificatum palàm declaret.

DE ACTIONE, ALTERA *pronuntiationis parte.* Cap. 10.

HACTENVS de voce satis multa: iam de gestu disputemus: Et gestus quidem in oratione momenti multum habet: id quod Demosthenis diligentia demonstrauit: qui grãde quoddam speculum intuens, priuatè primum actionem componere solebat: quod etiam euentus, quem experimur quotidie, probat: nã sæpius vel nutib⁹, vel picturis multũ mouemur;

Iam igitur dicamus,quæ debemus in oratione ſeruare,vt actio decora ſit. Et in primis geſtus nullo modo ſit effœminatus, nec ferox: ſed in eo appareat conſtantia,& fiducia,ac(ſi fieri poteſt)morum cōmēdatio. Motus non ſit hiſtrionicus: ſed repreſentet,vel res,vel affectum,ſalua tamen boni,& grauis viri auctoritate,& decôro. Verbis ita accōmodari debet geſtus, vt magis ſenſui,quàm verbis reſpondeat. Caput erectum ſit, non inclinatum,nec deiectum, niſi damnare,aut concedere opus eſſet,quod vultu ſolet indicari. Vultus grauis, & modeſtus eſſe debet: quia hunc attentius auditores ſpectāt. Oculi,quia plurimum valent,& per eos animus emanat,nec torui, nec aſperi ſint: ſed pro vultus conditione. Supercilia, (quia formant oculos,frontiq; imperant) temperata ſint,ac nares decentes,ita vt,neq; corrugentur, neq; inflentur,neq; digito agitentur, niſi neceſſe ſit eas emungere. Labra, nec porrigantur,nec diducantur,nec in latus trahantur:ea ſanè lambere, aut mordere,turpe eſt,ac deforme. Ceruix erecta ſit,rectumq; collum: quamuis contrahi aliquando poſſunt,ad iuuandam vocem,modeſtè tamen. Humerorū alleuatio,vel contractio eſt planè deformis. Pectus, & venter ne proijciantur. Brachiorum proiectio,in contentionibus bona eſt à ſiniſtra in dexteram ferè ſemper. At

cùm

cùm ſpacioſius quiddam dicitur, quale eſt illud Ciceronis pro Archia: Saxa, & ſolitudines voci reſpõdẽt, &c. expatiatur in latus, & ipſa quodãmodo ſe cum geſtu fundit oratio. Manus quanuis infinitas ſignificationes habeat, poſcẽdo, vocando, interrogando, indicando, & alia innumerabilia declarando: tamen modeſta fuerit, digitis verba ſubſequens, non exprimẽs. Dextera manu ferè ſemper vtendum eſt, complicatis, vel extenſis digitis, verſa ad nos, vel ad alios pro ratione ſenſus, atq; ſententiæ. Quod magis ex vſu, & conſuetudine probata petendum eſt, quàm ex præceptis. Nõnunquã vtraq; manu vtemur, maximè, cùm exclamamus, & abominamur. Suggeſtũ, aut ſemur percutere, & ferire aliquando licet. Supploſio pedis in cõtentionibus, aut incipiendis, aut finiendis, optima eſt: frequens tamen eſt ridicula, &c.

DE ACTIONE VARIA
in orationis partibus. Cap. 11.

IN laudatione, (niſi oratio funebris ſit) actio ſit magnifica, & ſublimis. Exordio pronuntiatio frequentiſsimè congruit, & laterum in vtranq; partem lenis motus. In narratione lata manus, & geſtus diſtinctus erit, voxq; proxima ſermoni, ſed apertior. Egreſsiones lenes, dulces, & remiſſæ ſint. Partitio narrationi ſimilis

vtraq; manu fit, nonnunquam in modum docentium digito digitum indicante. Confirmatio erit agilior, acrior, et inſtantior: cōfutatio fortis, ſed media, ita vt decenter, & fortiter epilogum abſoluat. In peroratione, ſi enumeratione vtendum eſt, conciſa erit, & grauis geſtus moderatio. Si verò concitamus, nūc intenta, nunc remiſſa, nunc plenior. Si placamus, inclinata, & lenis. Si verò cōmiſerationem exprimere velimus, erit flebilis, &c. Atq; hæc hactenus de pronuntiatione, id eſt, de voce, & geſtu. Plura qui volet, Quintilianum legat lib. 11. c. 3. de pronuntiatione.

DE EXERCITATIONE.

Caput. 12.

INITIO huius Rhetoricæ lib. 1. conſtare illam diximus, vt reliquas omnes diſciplinas ex natura, arte, & exercitatione: de primis duabus hactenus diſputauimus: ſupereſt ad huius Rhetoricæ abſolutionem, vt de tertia diſputemus, id eſt, de eius exercitatione, quæ eſt omnium nobiliſsima, & ad eloquētiam cōparandam valde neceſſaria.

Eſt igitur exercitatio dicendi aſsiduus vſus, qui non modò naturam, & artem excitat: verū etiam roborat, & perficit. Eius vtilitates conſequi dicēdo poſſet nemo: ſi enim magnum eſt

de

de omni re aptè,& ornatè dicere: profectò & magnum erit, per quod rem tantam cõsequemur. Artem, quòd præcepta det, magni æstimamus: quanti igitur æstimanda exercitatio est, quæ artem perficit? Iter qui ingreditur, pro nõ perfecto habetur, nisi eò, quò intendebat, peruenerit: sic qui natura, & arte benè instructus est, nisi assidua exercitatione progrediatur, perueniatq; ad dicendi extemporalem facultatem, domi relictus non censebitur perfectus: quia in vno semper loco manebit: nec ad finẽ animo destinatum perueniet. Thesaurum coacernare, diuitias cõparare, amplamq; suppellectilem habere, magnum est: sed benè partis vti, & id quidem in loco, præstantius multò est. Ita pulchrè esse ad dicendum ornatum, & instructum, (quod natura largitur, & doctrina) magnum est: verum aptè, & copiosè loqui, (quod exercitatio tribuit) multò melius, & præstantius est. Quid? quod sine exercitatione nullius commodi ars hæc futura est, vt nec reliquæ artes? Sublata è medio exercitatione, nec tibi, nec Reip. posis adiumento esse; vnde fiet, vt inutiles reddantur omnes artes. Si verò exercitationem adhibueris: id facili negotio consequeris: aliàs natura, & ars iacebunt consopitæ, &c.

DE EXERCITATIONIS
duobus modis. Cap. 13.

ERGO, vt de exercitatione aliquid loquamur: Primum perceptis Rhetoricæ præceptis, duobus modis artē in vsum deducemus, nimirum efficiendo, & facta examinādo. Prior, quoniam in efficiendo positus est, effectio, posterior, quoniam ad artis præceptionem, tanquam ad trutinam, iam facta examinat, cēsura potest appellari. Sit igitur effectio exercitatio, qua vel loquendo, vel scribendo aliquid secundum leges ab arte Rhetorica traditas, efficimus. Et in omni quidem scriptione, atq; dictione, diu, ac multū versabimur, multa scribemus, multumq; chartæ, & atramenti perdemus (si perdere dicaris, quod cum ratione, & vtilitate consumas.) Idem de loquendo dicendum est: quāquam in scriptione plus artis, & iudicij esse solet, propter spacium, quod datur, cogitandi, & iudicandi. Quamobrem in scriptura velim potissimum hanc artem axerceri, cuius admonitū præcipuum illud est; vt rem totā de qua Orator dicturus sit, secum diligenter perpendat, & videat, quæ arti, & quæ prudentiæ relinquenda sint. Ad quam exercitationem facilius consequendam, adiuuabitur imitatione, id est, diligēti obseruatione eorum, qui optimè scripserunt, eloquētiumq; virorum, quorum simi-

lis

lis esse velit: quia imitatio in componendo solet esse lux, & index itineris certissimus, per quod tendimus ad comparandam eloquentiã. In imitatione verò ea sunt proponenda, quæ iuuet expressisse, nimirum, optima, non simpliciter, sed iuxta præsentes vires. Qua propter sapienter admonet Quintilianus, ne initio pueri ad magistri æmulationem assurgere conentur, ne viribus destituantur: sed quod illis est facilius, atq; promptius, doctiorem aliquem de condiscipulis exprimant, quo innixi paulatim se ad magistrum exprimendum, erigant. Quod consilium agricolas sequi in vitibus maritādis videmus. In oratione verba, & compositio sunt pro corpore: sententiæ verò, & argumēta, atq; illa dispositio pro mente, ac spiritu. Filius non tam dicitur patri similis, quòd lineamenta, formamq; illius referat: quàm, quòd mores, ingenium, & illam quasi vitam, quæ ex interiore animi sede foras per actiones emicat, & se nobis ostendit. Si quis vnum inuenire posset, qui omnia haberet optima, vel deo simillimus, vel ipse Deus esset; ac solus imitandus: sed nullus est ex omni parte tam felix: ideoq; dixit Seneca, non esse vnum solum, (quantumuis sit præcipuus) imitandũ. Et quò plura sunt ostensa exempla, eò magis eloquentia proficit, & augetur, &c.

DE IMITANDIS AVTORibus in quouis dicendi genere.

Caput. 14.

SVNT qui ex omnibus Ciceronem vnum eligant, quem solum imitētur. Habet sanè optima Cicero: sed nec omnia, nec solus. Cùm docet, & delectat, præter cæteros est admirabilis, acutusq; in colligendis argumentis: in iaciendis verò illis, non est perinde validus: nam deficitur interdum viribus, propter eius fusum dicendi genus, quod est à magnis quibusdam viris notatum, Cælio, Bruto, Attico, Quintiliano, & Tacito. Quanquam isti noui imitatores nō tam animã orationis, ad illam exprimendam contemplantur: quàm verborum, & styli faciē exteriorem. Profectò verborum Ciceronis imitatio vtilis, & tuta est: dictionis verò eiusmodi non est. Hanc enim si quis nō assequatur, in sermonem degenerabit redundantem, eneruem, & plebeium, cui Cicero vicinus est: à qua tamē vilitate vindicat se ipse admirabili dignitate addita orationi ex scientia, & rerum cognitione, numeris concinnis, ac venustis, aptissimis metaphoris, antithetis, & contrapositis, clausulisq; gratia quadam nō imitabili. Sed certè nō si optimus est Cicero, alij prorsus mali, aut aspernãdi sunt. Hinc Cor. Tacitus. Nō est, inquit, vnus eloquētiæ vultus, nec statim est deterius, quod

quod diuersum est. Cicero in Bruto multos summos Oratores in maximè diuerso genere dicendi ponit. Cuius sanè rei, si nō alij, Demosthenes, & Cicero exemplo esse possunt. Atq; idcirco acutè est inspiciendum, quibus tandem rebus ingenium imitatoris sit appositum. Quod in omni vitæ actione Sapiētes consulunt: vt eò se quisq; applicet, quò fertur naturæ quodā nutu. Vnde, si copiam diligit, Ciceronem imitetur: si verò parsimoniā verborum, Demosthenem, et Atticos: si strictam breuitatem, Sallustium: qua (vt ait Quintilianus) nihil potest esse perfectius apud aures eruditas. Atq; ita fiet, vt ea in re, si nō summus, neutiquam tamē euadat contemnēdus: quia in omnibus, aut in pluribus fastigium, vel proxima fastigio loca tenere, magis est optandum, quàm sperandum.

AD IMITANDVM, AVTORES *optimi eligendi.* Cap. 15.

AD optimos auctores imitādos, ij sunt in primis eligendi, qui in quaq; virtute sunt præcipui. Sic ad sermonem familiarem primas feret Cæsar, & Ciceronis epistolæ: non quin Cicero cuiuis sit verborum electione par: sed fusa illa phrasis quotidiano sermoni non satis cōuenit. Ad comitatem imitandam Plinius, & Politianus eligendi sunt: Liuius ad historiam fusam

ſam: Tacitus ad explicanda conſilia. Ad hiſtoriæ cõmentarium Suetonius: ad carmen heroicũ Homerus,& Vergilius: ad Liricum Pindarus, & Horatius: ad Comædias Ariſtophanes,& Terentius, ad vertendum propriè Theodorus Gaza. Sed vertendi exemplum eſſe poteſt Ciceronis liber de vniuerſitate, quæ pars eſt Timæi Platonis. Ad gratiam dialogorum, Plato ipſe, et Cicero: ad aſtutiam aduerſarij capiendi, Socratis inductiones: ad efficacem argumentandi rationem, Ariſtoteles: ad præcipiendum de moribus, Plutarchus: ad eruditã, & attẽtam coronam, Demoſthenis orationes: ad ſuauitatem,& numeros, Iſocrates eligẽdus eſt. Ex his igitur optimis auctoribus in diuerſo genere dicendi, quilibet deſumet, quod operi ſuo maximè conducat, pictoreſq; imitabitur, qui ex cãpi aſpectu amœniſsima quæq; in ſuum *opus transferunt, &c.*

QVOMODO AVCTORES *imitandi ſunt. Cap. 16.*

AD benè imitandum acuto iudicio opus eſt: adde etiam naturali quadã, & occulta dexteritate. Quidam, dum volunt aliquem auctorem imitari, ſuffurantur, & ſurripiunt cuncta, quæ ſunt illius, atq; in opus ſuum transferunt. Non ſic auctores imitandi ſunt: ſed ante ocu-

los

los proposito exemplari, attentissimè contemplabimur, qua ratione, & arte ab auctore putemus id confectum: vt & nos, quod animo destinauimus, simili artificio perficiamus. Vt si quis gratias alicui acturus, eadē dicat, quæ Cicero Senatui, populoq; Rom. dixit, suffurari, & suppilare id potius esset, quā imitari. At si cōsideret, quid Cicero in orationis exordio facere voluit: quid secunda parte, quid tertia, &c. quibus sententijs in quaq; vtatur re: quibus argumentis, quomodo colligatis: quas similitudines, quas figuras, quos animi affectus attingat, &c. Hoc tu artificium effinge, si vis bonus Ciceronis imitator esse. Subijciamus breue aliquod exemplum. In Oratore suo refert Cicero, Carbonem Tribunum Pleb. hæc in cōcione quadam dixisse. O M. Druse, patrē appello: tu dicere solebas, sacram esse Remp. quicunq; eam violauisset, pœnas esse ei ab omnibus persolutas. Patris sapiens dictum temeritas filij comprobauit. Quo dicto, ait Cicero, admirabilem secutum esse vniuersæ concionis clamorē, & plausum. Si quis ita imitetur. ô. d. Paule, Tharsensem appello: tu dicere solebas, sacram esse charitatem. Quicunq; eam violauisset, pœnas esse ei ab omnibus persolutas. Apostoli sapiens dictum scelerum temeritas comprobauit. Hoc non est imitari, sed suffurari. Erit autem

tē imitari, si sic dicas. O diue Paule, Tharsensem appello: tu semper consueuisti prædicare, maximas esse vires charitatis. Quicunq; ad eius normam vitam non componerent, nec pertinere ad Christi regnum. Piam Apostoli sententiam consuetudo scelerum abdicauit. Sic te in auctoribus imitandis exercere debes. Nec solum eos in rebus, sed in verbis etiam æmulaberis, vitia illorum reijciendo, virtutesq; in eloquendo consectando. Hæ sunt effectionis partes, quas qui frequentius exercuerit, facilius, & ornatius scribet, ac loquetur. Ex frequentato enim earum vsu nascitur illa non satis laudata facultas dicendi *extemporalis, &c.*

DE CENSVRA, DE QVE *eius vtilitate. Cap. 17.*

DENIQVE censura post imitationem sequitur: quæ est exercitatio explorans, & examinans scripta, consilia, dictaq; tam nostra, quàm aliena: Cùm consideramus argumentorum vires, & dispositionem: tum exornationes, & singula ad artis regulas perpendimus: ita vt à capite opus totum retexatur.

Huius exercitationis vtilitas est maxima: quia in hac exploratione artis præcepta apparent, altiusq; memoriæ hærent, & figuntur: atq;

atq; adeò tenaciter retinentur: vt hac parte præter cæteras habitus præceptionum acquiratur. Qua propter nihil tanquam prudentes speculatores intentatum relinquamus: primò argumenta, eorumq; dispositionem perscrutemur: deinde elocutionem: tum orationis partes. Deniq; vitia commissa auferamus, virtutes orationis reliquamus: Atq; ita fiet vt eloquentiam tanquam artis finem consequamur.

¶FINIS ARTIS Rhetoricæ.

DE CONSCRIBENDIS *epistolis, appendix ad artem Rhetoricæ.*

EPISTOLA EST ORATIO, quæ de re aliqua certiorem facit absentẽ. Ea vel simplex est, vel mixta. Simplex in certo orationis genere consistit, id est, simplici argumento constat: Mixta circa varia orationis genera versatur. Vnde, quæ simplex est, distribui potest in demõstratiuam, deliberatiuam, & iudicialem. Mixta verò in mixtas alias formas: Nam vel vna epistola ad multas, atq; diuersas respondemus: vel res maximè diuersas vna epistola cõplectimur: cuius exempla esse possunt, cùm multæ Ciceronis epistolæ: tùm illa ad Q. Fratrem, cuius initium est, Ad quartum nouas Iunias, &c.

In hoc genere aut quidquid in mentem venit, effundemus: aut à tempore rerum ordinẽ sumemus, aut certè ordinem nos ipsi confingemus. Si ad plures epistolas vna respondere sit necesse: ordine id faciemus, & huiusmodi trãsitionibus vtemur: Habes de primis literis, de alteris nunc accipe: Respondi ad secundas: iam audi de proximis, &c.

Iam

Iam de partibus epistolæ dicamus. Atq; illæ quinq; in vniuersũ numerari possunt, videlicet, salutatio, exordium, narratio, conclusio, & superscriptio. Salutatio legentem præparat, constatq; nomine scribentis, & eius ad quem scribit, & vtriusq; officio, & dignitate: vt si.d. Paulus ad.d. Petrum hac ratione, scribat. Paulus doctor gentium Petro Ecclesiæ principi salutem in Christo, &c. In exordio causam explicat, quæ eum ad scribendum impulit: vti: Cùm te impensè diligam, ac vt vicarium Christi colam: rerum, quæ apud nos geruntur, volui certiorem facere, &c. Iam verò in narratione dicet, quid factum sit: quid ve fieri velit: vt: Ingenti malorum tempestate iactamur: proinde & consilijs tuis, & precibus multũ indigemus, &c. Conclusio locum, & tempus indicat, & benè rursus precatur: vt Vale: Datis Ephesi calendis Ianuarijs. Deniq; superscriptio designat, quis ille sit, ad quem mittitur epistola: vt; Ad summum Ecclesiæ Pontificem.d. Petrum, &c.

Affectata locutio longè abesse debet ab epistolæ familiaritate: ideoq; eiusmodi elocutio, formaq; dicendi esse debet, qualis cum amico priuato collocutio solet esse: Vnde Cicero dixit in epist. Epistolas quotidianis verbis texere solemus: ita tamen, vt elegans sit sermo. Quod si de re magni momenti interdum scribere

S opus

opus sit,licebit altius scribere pro materiæ dignitate. Vtriusq; styli exempla extant apud Ciceronem in Familiaribus epistolis.

In salutatione fugienda est assentatio: sed epithetis honestis vtemur: vt si scribas ad summum Põtificem,dices. Beatissime, sanctissime, & benignissime pater,&c. Si ad regẽ. Inuictissime,potentissime, & clementissime, &c. si ad Senatorẽ, Grauissime, ornatissime,iustissime: si ad Theologum,Doctissime,si ad Oratorẽ,Eloquẽtissime. Deniq; pro ratione personarũ, ad quas scribis,epithetis vteris. Quando vna epistola ad res multas respondemus, prius de publicis,deinde de priuatis dicemus. Quæ methodo prudentiæ potius,quàm doctrinæ relinquenda censeo.

De simplici epistola hoc vnum pro multis præceptum esse potest: vt eam secundum artis Rhetoricæ præcepta constituamus, nimirum innentionis,dispositionis,& elocutionis.

His igitur de conscribendis epistolis breuissimè à nobis constitutis,ex omnibus epistolarum generibns tria dumtaxat eligamus: in quibus inuẽtionem,dispositionem, atq; elocutionem demonstremus: vt ex illis tanquam frequentioribus,facilè possint reliqua cognosci. Et illa quidem sunt Epistola consolatoria,Petitoria,& Gratulatoria.

DE RATIONE SCRIBENDI
epiſtolas conſolatorias.

QVAESTIO in omni conſolatione hæc eſt propoſita. Non eſt tibi dolendum, Serui, aut Lētule propter exilium, aut filij mortem, vel propter amiſſa bona.

INVENTIO CONSOLATIONIS.

OMNIA argumenta cadunt in conſolationem: hæc tamen frequentiora ſunt. Finis, vt ſpes vitandi incommodi, vel boni conſequēdi: Cauſæ efficientes ſpontè, & non ſpontè. Sed hoc accidit alterius culpa, aut neceſsitate, aut natura, aut fortuna, &c.

Item, effecta: vt qui benè conſulit Reip. conſolandus eſt. Etiam ſubiecta, & adiuncta, quæ circunſtant: Subiecta, vt qualitas temporis, & loci: vt, Temporis, lociq́; perturbatio pleroſq; conſolatur. Adiūcta: vt bona de nobis exiſtimatio, iniuria, & inuidia inimicorum. Cōparationes frequentiſsimè cadunt in conſolationem: maximè, à minori, & à pari: vt mollis fœmina hanc feret moleſtiam: tu vir non eā æquo animo feres? Alij interierūt in hoc bello docti, & graues ciues: & tu igitur patiēter debes ferre mortem filij. Diuiſiones quoq; ſunt in conſolatione frequentes: vt, Aut doles tua cauſa, aut filij: tua non eſt tibi dolendum: quia grauis, & prudens es: neq; filij, quia in cælo iā

versatur: igitur dolendum non est tibi. Genus etiam valet multum ad consolandum: vt quod omnibus hominibus accidit, est patienter ferē dum: Quanuis hæc consolatio à multis pertur batur. Definitiones, nomina, & testimonia non cadunt in consolationem, &c.

DE DISPOSITIONE *epistolæ consolatoriæ.*

IN omni consolatione duæ feræ sunt partes: vna qua consolaris afflictam personam: altera, qua ei tuam polliceris operam. Ordo autem doctrinæ minimè in cōsolatione seruatur: quia illius, quem consolaris, animus est dolore cōmotus. Atq; ita non erit necessarius ordo propositionum syllogismi, neq; partium episto læ: sed methodo prudentiæ omnis dispositio epistolæ consolatoriæ relinquenda est, &c.

DE ELOCVTIONE *epistolæ consolatoriæ.*

EX tropis adhibentur metaphora, & allegoria: Ex verborum figuris epanalepsis. Reliquæ sunt raræ. Figuræ verò sententiarum frequentius adhibētur: quarū frequētissimæ sunt prolepsis, præteritio, occupatio, & subiectio.

DE RATIONE SCRIBENDI EPIstolas petitorias, seu commendatitias.

QVAE-

QVAESTIO in epiſtola petitoria, ſiue commendatoria eſt. Debes hoc facere, quod à te peto: Aut, Hic vir, quem tibi commendo, debet tibi eſſe curæ.

INVENTIO EPISTOLAE *petitoriæ.*

OMNIS petitio in tres partes diuiditur: prima declaratur legitima cauſa & honeſta, quæ ſubeſt petitioni: Secunda oſtenditur poteſtas in eo eſſe, à quo petimus Et tertia pollicemur aliquid de nobis, aut de eo, quem commendamus.

Cauſa legitima, & honeſta ſumi poteſt ex omnibus fere locis, ſeu argumentis: præcipuè à fine: Vt melior ſit Reip. adminiſtratio, debes huic viro relinquere expectata negotia. Ab effectis, vt: Eius curam habere debes, à quo & tu, & ego multa beneficia accepimus. A rebus ſubiectis, quæ circunſtant. Sic à qualitate loci, & temporis ducitur honeſta petitionis cauſa: vt, Debes hunc virum habere charum: quia in eo loco verſatur, vbi tu imperas: & eo tempore petit, quo aduerſa fortuna premitur. Ab adiunctis, quæ inſunt, & circunſtant: vt: Hunc virum debui tibi cõmendare: quoniam eſt amicus, & doctus, & prudens: & cuius calamitatis multi miſetentur, deq; illius iniurijs conque-

runtur. Poteſtas explicatur ferè cauſis adiuuantibus, & exemplo rerum antè geſtarum: vt, Cui tot inſunt virtutum præſidia, & artium, & diuitiarum. Qui aliàs hæc beneficia contulit; poterit & nunc conferre, quod petimus. Pollicemur ferè varios fructus, qui ad locum cauſarū, & effectorum referuntur: vt, dignitatem, & vtilitatem, & amicitiam. Quæ confirmamus, & commendamus ab effectis noſtris, & eius, quē commendamus: vt, Quòd gratus antè fuerit in eos, à quibus beneficia acceperat, &c.

DISPOSITIO EPISTOLAE *petitoriæ.*

DISPOSITIO argumentorum in epiſtola petitoria erit & doctrinæ, & prudentiæ pro diuerſitate rerum, & perſonarum.

ELOCVTIO.

IN epiſtola petitoria, ſeu commendatitia adhibentur præteritio, & occupatio: Reliqua in hoc compoſitionis genere miſceri poſſunt: vt locus, & temporis occaſio poſtulabunt.

DE RATIONE SCRIBENDI EPIſtolas gratulatorias.

QVAESTIO in gratiarum actione eſt. Ago tibi gratias propter beneficium collatum. Conſtat autem gratiarum actio

tribus

tribus ferè partibus: prima confitemur beneficium acceptum, & laudamus: secunda eum laudamus, qui beneficium contulit: & tertia, nos pollicemur aliquid, præsertim gratam beneficij memoriam, & eius qui contulit, &c.

INVENTIO EPISTOLAE *gratulatoriæ*.

CONFESSIO beneficij ex omnibus locis duci potest: maximè verò ex minorum cõparatione, qua probes beneficium acceptum maius esse reliquis beneficijs: & quid inter illa, et hoc præsens beneficium intersit. Amplificabis comparationem ab omnibus ferè locis: à fine: Quia beneficium non est collatum quæstus gratia, à causa absoluta: Quia collatum est sine alijs præsidijs: à causa efficiente spontè: Quia vltrò, & spontè collatum est. Ab effectis: Quia delectatio ex beneficio consecuta est. Laudatur verò persona, quæ beneficium contulit ex omnibus locis: sed præcipuè ex illis, qui valent ad beneficia conferenda: vt sunt finis, causa absoluta, adiuuans, efficiens spontè: Nam beneficium collatum necessariò, non debet nuncupari beneficium. Effecta voluntatem hominis declarant. Adiuncta etiam, quæ insunt, & circunstant. Laus personæ valde augetur comparatione eorum, qui contulerunt

beneficia. Aliorum quoq; teſtimonia perſonā commendant.

Ad extremum dices, te,quanquam aliquid polliceri velis, nihil tamen poſſe: quòd maius beneficium ſit, quàm vt poſsit compenſari. Atq; ita comparatione quadam extenuabis po teſtatem tuam ex quibuſcunq; locis, & argumentis poteris. Voluntatem tuam declarabis,& accepti beneficij magnitudinē: vt ex hac comparatione grata hominis illius memoria declaretur.

Diſpoſitio argumentorum erit ſecundum ea quæ in Rhetorica dicta ſunt de methodo doctrinæ, atq; prudentiæ.

ELOCVTIO EPISTOLAE *gratulatoriæ.*


PRIMA, Secunda,& Tertia pars multis tropis poſſunt illuſtrari; ſed minimè cùm conſiteris acceptum beneficium,niſi cùm eius magnitudinem amplificas: Verborum figuræ ſunt frequentes in hoc genere: Sententiarum verò,non ſunt perinde frequentes, niſi præteritio, quæ eſt vrbanitatis,& laudis plena: & apoſtrophe, & correctio, quæ etiam aliquam præ ſe ferunt vrbanitatem. Concinnitas deniq; in gratulatione magnifica, & ſplendida eſt adhiben-

hibenda, quæ numeroſa oratione, verbisq́; ſonantibus gratum animum declarare videtur. Huius rei exempla eſſe poſſunt tres Ciceronis orationes duæ poſt reditum ab exilio, & tertia pro M. Marcello.

FINIS APPENDICIS ad Rhetoricam de conſcribendis epiſtolis.

HISPALI EXCVDEBAT Ioannes Leonius.

1595.


SPEV
A
DEV

INDEX ALPHABETICVS in quatuor libros de arte Rhetorica.

Depre

T Ad

T.

V.

FINIS.

CON ESTAS ENMIENDAS ESTA correcto este libro conforme al original.

Pagin.	Linea.	Erratum.	Correctio.
3	26	*ſinem*	*finem*
4	22	*trpis*	*tropis*
8	18	*artificialbus.*	*artificialibus*
25	2	quoq; p.trua)	quoq;) *parua*
31	21	*iriſcare*	*iraſcare*
32	17	*miſerarium*	*miſeriarum*
36	17	*ſatyra* 9	*ſatyra* 8
36	18	*tibi Therſites*	*tibi ſit Therſites*
41	22	*inconcinua*	*inconcinna*
44	5	*quaq;*	*quoq;*
49	1	(5. *Murenæ*)	(.ſ. *Murenæ.*)
49	2	(5. *quia*	(.ſ. *quia*
53	19	*vt iuſtitia*	*vt iuſtitia*
55	19	priprie	propriè
65	6	*diuitur*	*diuiditur*
86	5	*probatis*	*probitatis*
88	17	*ingerauda*	*ingerenda*
92	13	*difficilum*	*difficilimum*
97	vlti.	*uniquiq;*	*unicuiq;*
112	17	*ad*	*ab*
144	13	*calide*	*callidè*
150	vlti.	*coaſta*	*coacta*
167	7	*ignomia*	*ignominia*
173	14	*minatur*	*minantur*
176	vlti.	*nanem*	*nauem*

Pagin.	Linea.	Erratum.	Correctio.
177	4	*impedentibus*	*impendentibus*
181	4	*apothegmata*	*apophthegmata*
186	16	*comitis*	*comitijs*
188	14	*præcedendis*	*præcedentis*
197	18	*que*	*quæ*
209	10	*magam*	*magnam*
221	21	*iuueni*	*inueni*
222	pen.	*colocatione*	*collocatione*
225	26	*reddadtur*	*reddantur*
231	23	*sine*	*siue*
236	2	*excitatio*	*exercitatio*
243	13	*voce*	*vocem*
256	17	*nouas*	*nonas*
260	9	*feræ*	*ferè*

¶ En Madrid a tres dias de Iulio, de mil y quinientos y nouenta y cinco años.

Iuan Vazquez del Marmol.